NVMISMATA

NONNULLA GRAECA

EX

MUSEO REGIS BAVARIAE

HACTENUS

MINUS ACCURATE DESCRIPTA

EDIDIT

DR. FRANCISCUS SER. STREBER,

NUMOTHECAE REG. BAV. ADJUNCTUS.

[1835]

KGL. MUSEUM
HIST. VEREIN
AUGSBURG

11284327

Da veniam scriptis, quorum non gloria . . .
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

Ovidius.

Sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

Tacitus.

Historischer Verein
für
Schwaben

Stadtbibliothek
Augsburg

PRAEFATIO.

Rei numariae studium magni esse momenti, memorare superfluum esse videtur; sunt enim numismata clarissima monumenta, quibus veteres majestatem imperii, urbium situm et ornamenta, populorum, imperatorum et illustrissimorum virorum origines, virtutes, res bello ac pace gestas, ut paucis praecidam, omnium artium et omnis splendoris memoriam conservare, et posteritati contemplandam, admirandam atque imitandam tradere studuerunt. Inde ubique et omni tempore tam reges et principes, quam homines privati in erigendis et amplificandis numorum antiquorum collectionibus operae plurimum temporisque consumebant, atque nostris praesertim temporibus viri eruditissimi oculos animumque ad numismata antiqua advertunt, ceu monumenta, quae antiquitati plurimum lucis affundant; immo sunt, qui rei numariae studium lumen totius Archaeologiae nominare non dubitent [1]).

Verum enim vero id lumen obscurare minitantur falsa numismata; qua enim mente advocabimus numum ceu antiquitatis testem,

---

1) Hirtius in *Boettigeri Amalthea*, Tom. III. pag. 18 habet: „Mit Recht verdient die Münzkunde wegen der vielartigsten Aufschlüsse, die sie uns gibt, das Licht der gesammten archaeologischen Studien genannt zu werden."

qui nuper ex clandestina impostoris officina emersit? Atqui si quod fuit tempus, quo hic scopulus iis, qui numismata ad philologiae quaestiones adhibent, fuit fatalis, istud profecto est, quo non modo omnem Europam inundavit numorum spuriorum diluvies, sed et falsarii talem adepti sunt in imitandis singulis numorum characteribus habilitatem atque perfectionem, ut vel exercitatissimus oculus vix sibi a fraude cavere possit[2]). Quapropter eruditissimus *Eckhelius* recte admonuit: „ut omnes in primis habeant curis, ne antiquitatis doctrinam corruptis testibus magis corrumpant"; atque celeberrimus *Sestinius*, sicuti cunctorum vices in se suscepit, cum in variis suis operibus hosce falsarios eorumque socios et fautores juste flagellaret, ita et gratiam iniit apud omnes Antiquarios, cum in peculiari opusculo[3]) nonnulla falsariorum signa plane detegeret orbique literario ob oculos poneret.

Ast non solum numorum falsarii, qui omnem suam operam addixere studiis numismatum antiquorum, non quia antiqua numismata sunt, sed quia numismata auro et argento constant; sed etiam

---

2) Hoc loco notatu dignissimum est id, quod perdoctus Henninus dicit de falsariis. „Quel que soit, inquit, le degré de perfection trompeuse et funeste, auquel sont parvenus les contrefacteurs par le moyen de coins de travail moderne, on peut craindre qu'ils ne gravent à l'avenir des pièces dans un sentiment de l'antique encore plus parfait. Mais ce genre de travail n'est pas le seul à redouter: d'autres essais très-recens d'imitation plutôt de reproduction des médailles antiques ont été faites dans un système dont la réussite serait tout-à-fait fatale pour la Numismatique, sous le rapport de la rareté et de la valeur des pièces. Leur but est de parvenir à frapper des pièces des trois métaux monétaires, *avec des coins moulés sur l'antique*, auxquels la difficulté à résoudre est de donner la dureté nécessaire. *Si ce genre de reproduction arrivait à une réussite parfaite, on n'auroit plus de moyens certains de distinguer une pièce antique d'une pièce ainsi reproduite*". Hennin, *Manuel de Numismatique antique.* Tom I. pag. 252.

3) *Sopra i moderni falsificatori di medaglie greche antiche nei tre metalli e descrizione di tutte (?) quelle prodotte dai medesimi nello spazio di pocchi anni.* Firenze 1826. 4to cum 4 Tabulis.

summi antiquitatis cultores, haud raro novitatis cupidiores, quam accuratiores in monumentis describendis, profunda huic scientiae infligere possunt vulnera; nam quod falsa numismata collectorum marsupio, idem falsae numorum descriptiones philologiae adferunt detrimentum. Quis enim e numis antiquis, etsi sinceris, pro Palaeographia, Iconographia, Geographia vel Mythologia etc. usus capiatur, si neque inscriptionibus, neque typis, quos libri numarii aut delineatos aut descriptos objiciunt, fides haberi potest? Atque profecto multa exstant in Eruditorum operibus numismata, quae aliter promulgata legimus, ac re ipsa sunt, ex quo illud sequitur incommodi, quod, qui semel hanc negligentiam cognoverit, pendeat animi, utrum reliquis descriptionibus fidem adstruat, an deneget.

Quae cum ita sint, eruditis Antiquariis haud ingratum fore arbitror, si nonnullas tenebras et offensionum pericula, quae philologiae ex numis minus accurate descriptis imminent, removere conamur; nam si ars numismatica eos praestare debet fructus, quorum causa in artium numerum recepta est, inprimis falsas numorum descriptiones esse corrigendas, nemo non intelliget.

Quod quidem negotium molestum est atque ingratum; nam obsoleta recoquere taedium excitat, sententias inveteratas rejicere consuetudinem offendit, aliorum conjecturas corrigere, opinionem parit praejudicatam: sed „potest accidere, Eckhelius inquit, ut numos jam vulgatos refingas utilius, quam proferas nondum vulgatos; quis enim inficiabitur, plus saepe imminere periculi a numis false descriptis, quam penitus ignoratis? ut sane Graecis, Troja profectis, minus infestae fuere tenebrae, quam ignes dolosi ex Caphareo collucentes“.

Inter numismata minus accurate descripta nonnulla quoque numeranda sunt ex Museo Regis Bavariae vulgata; quorum descriptiones in hoc opusculo corrigendas mihi proposui.

Benevolus lector saepius eruditissimos viros *Cousinéryum*, *Mion-*

netum et *Sestinium* citatos, eorumque descriptiones emendatas inveniet. Ut autem magis in aperto sit, partim qua ex ratione hi triumviri tam frequenter nominentur, partim quomodo factum sit, ut nonnulla numismata ex Museo Regis Bavariae false descripta occurrant, sequentia lectori ob oculos ponere juvat.

Magna pars eorum numismatum graecorum, quae in Museo Monacensi adservantur, emta est de celeberrimo *E. M. Cousinéryo*, Reipublicae Gallicae olim Consule, qui per 25 annos in Macedonia et Asia minori commoratus, nulla, quae ipsius ingenio, antiquitatis studiosissimo, adridebat, omissa occasione, collectionem apparavit, numero non minus, quam raritate in celeberrimis habendam [4]). Clar. *Cousinéryus*, vir in re numaria nulli secundus, horum numorum conscripsit catalogum, qui non undique ea, qua opus est, gaudet cura et fide. Quare quum celeberrimus *Mionnetus* in opere suo, cui titulus: „Description de medailles grecques et romaines“, descriptionibus catalogi Cousinéryani uteretur, factum est, ut non tantum omnes catalogi Cousinéryani errores in opus Mionneti reciperentur, sed etiam propterea, quod Mionneti descriptiones undique vulgatae sint, quamdam publicam obtinerent auctoritatem.

Atque hae sunt causae, ob quas nonnulla numismata graeca, nunc in Museo Regis Bavariae adservata, false descripta existant, et eruditissimi Antiquarii, *Cousinéryus* et *Mionnetus*, hoc in opusculo saepius nominentur eorumque descriptiones corrigantur. Sed nemo non intelliget, hasce castigationes meas nec horum duumvirorum auctoritatem diminuere, nec insignia ipsorum de re numaria merita obscurare posse; nam profecto opera numaria, quae *Cousinéryus* cum erudito orbe communicavit, tanta elaborata sunt cura et ingenii sagacitate, ut satis clare unicuique per-

---

4) Ign. v. Streber, *Fortsetzung der Geschichte des k. b. Münzkabinets* in: Denkschriften der k. Akademie der Wissenschaften, 1814 et 1815 pag. 10.

suadeant, hunc antiquarium in conscribendo catalogo controverso ideo tantum necessariam non collocasse diligentiam, quia catalogus iste nonnisi ad usum privatum, nec vero ad emolumentum orbis literati erat destinatus. *Mionnetus* autem, vir summae laudis et gloriae, cum ipsi deesset occasio comparandi descriptiones Cousinéryanas cum numis ipsis, omnem habuit rationem, catalogo ab eruditissimo viro, qualis erat Cousinéryus, conscripto, plenam habendi fidem.

Praeter hos duumviros, Cousinéryum et Mionnetum, lector varia *Sestinii* opera frequenter inveniet citata. *Sestinius* nempe, quemadmodum ex multis aliis Numophylaciis, tam publicis, quam privatis, ex Museo quoque Monacensi rariora numismata vulgavit et publicae Eruditorum censurae subjecit. Erat Sestinius vir, qui per eximiam suam eruditionem atque in numis definiendis explicandisque dexteritatem omnino par huic negotio haberi potuit; et cum ipsi praeterea neque tempus, neque occasio deesset singula contemplandi, describendi atque delineandi Musei Monacensis numismata, recte accuratissima exspectari poterat numorum descriptio. At hic quoque vir, licet doctrina et eruditione praestans, nonnunquam humani quid passus est.

Si vero viri, qui per dimidium saeculum indefessus [5]) in studium rei numariae incubuit, qui per autopsiam omnium quasi Europae Museorum praeclaram adeptus est judicandi exercitationem et dexteritatem, qui copia et soliditate operum suorum tantam et talem sibi comparavit auctoritatem et celebritatem, ut non solum propter aetatis maturitatem, sed etiam ab ingenii sagacitatem et judicii subtilitatem

---

5) Ipse scientiam numariam tanto amplexus crat amore et affectu, ut neque senectutis molestia, neque oculorum infirmitas eum a literarum tractatione revocare possent; etenim jam oculis captus numismata, in Museo Liberi Baronis de Chaudoir adservata, descripsit et illustravit, atque in praefatione hujus opusculi, quamvis jam 84 annos complevisset, hisce utitur verbis: „Se poi in seguito mi sia concesso di ricuperar la vista, non mancherò di dare un' Appendice delle medaglie non state descritte".

omnium, in rem numariam incumbentium, Nestor recte nominaretur: si talis viri vituperaturus sum descriptiones vel conjecturas; id animum meum, ingenue fateor, quadam perstringit timiditate; nam non is sum ego, qui ausim litis arbitrum agere et rejicere opiniones virorum, quibuscum neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sum comparandus.

Sed tam veritatis et scientiae amor, quam cura Numothecae, cujus pars custodiae meae commissa est, non suaserunt solum, sed etiam compulerunt me, ut hoc, quamvis inaequale, inirem certamen. Atque sane quis modestas, nec a livore aut maledicendi libidine profectas reprehensiones non aequo ferat animo? Persuassimum autem lector sibi habeat velim, tantum abesse, ut rationibus privatis commotus hoc opusculum conscripserim, ut aperte atque ingenue fatear, me Sestinium constanter summa coluisse observantia, atque ejusdem literas, quas, quamvis de facie me non noverit, ad supremum usque diem familiarissime mecum communicavit, semper grato accepisse animo; quin Sestinius ipse, ut falsas catalogi Cousinéryani descriptiones corrigerem, me adhortatus est.

Haec de causa et fine hujus opusculi. Quod ad ipsam numorum recensionem spectat, castigationes omnes, pro natura sua, duplicis sunt generis, nimirum errorem partim detegentes, partim corrigentes.

Errores detegere non est magni negotii; nam numismata ipsa loquuntur, si modo eorum typi et inscriptiones ea, qua opus est, cura et subtilitate, sine judicio praesumto, examini subjiciantur. Qua de re ut lector ipse integrum ferre possit judicium, numismatum figuras addidi, quas ipsemet, qua fieri potuit, summa fide delineavi, primam mihi statuens regulam, nil, nisi quod in moneta ipsa conspicitur, delineandi. Saepe enim epigraphen vel typum numorum, si ab aetate vitium traxerunt, peritissimum quemque facile in fraudem

inducere, neminem fugit; quodsi vero artifex delineat, non quod in monumentis ipsis conspicitur, sed quod Editor in numis male integris vidisse opinatur, facile alii quoque in fraudem ducuntur; qua culpa ne *Pellerinius* quidem liberari potest[6]). Unde in delineandis numorum figuris summam fidem adhibendam esse censui.

Ex accuratiori hoc numorum examine factum est, ut Geographia numaria nonnullis orbanda mihi videretur urbibus; nam Halonesus insula, Ctemenae urbs Thessaliae, Tyrissa Macedoniae, Sala Thraciae et Aspledon Boeotiae a *Sestinio* quidem in urbibus numerantur monetariis, atque *Mionnetus*, aliique viri perdocti, Sestinii auctoritatem secuti, easdem in rempublicam receperunt numariam: sed quam caute alienis credendum sit oculis, numismata ipsa docent; nam tantum abest, ut inscriptiones et typi horum Eruditorum opinionem probent, ut eam potius refutent. Pari modo accuratius numorum examen me docuit, nonnulla numismata, hactenus, quia false descripta, in rarissimis habita, inter communia esse referenda; sic e. g. numuli argentei et aenei, quos Sestinius Alexandro, regi Epiri, filio Neoptolemi, tribuendos esse putat, Pergamo Mysiae sunt vindicandi.

Multo autem majoris res erat difficultatis, erroribus detectis novas proponere conjecturas easdemque firmis roborare argumentis; nam facilius est vituperare quam corrigere.

Novae urbes, earum loco, quas e republica numaria delendas censui, a me propositae, sunt Cliternia Dauniae, Goneis Thra-

---

6) „Ein grosser Theil der Münzen, welche in Pellerins schönem Werke abgebildet worden, ist nicht genau dargestellt, weil es dem Kupferstecher mehr um das, was seiner Kunst angemessen, als um Wahrheit zu thun war; oft auch, weil er genöthiget wurde, das auf den Münzen zu sehen, was der Verfasser wollte, dass er darauf sähe. Eine häufige Zusammenhaltung der Originale mit den Kupfern hat uns von dieser Wahrheit überzeugt". *Neue Bibliotheck d. Wissensch. Tom. LXVII. p.* 110. Ign. v. Streber, *Fortsetz. d. Gesch. d. k. b. Münzkab. pag.* 39.

ciae, Spartolus Macedoniae, Trieres Macedoniae, Myrina Cretae et Canae Aeolidis.

Quod pertinet ad explicationem typorum, quam haud raro aliorum Eruditorum opinionibus contrariam statuendam esse existimavi, secutus sum viam a clarissimo *Eckhelio* praescriptam, monente, artis numariae non esse, docere historiam vel mythologiam, sed utriusque artis praecognita aut emendare, aut illustrare aut novis augere exemplis.

Ceterum me neque in nova monetarum patria definienda, neque in explicandis typis inoffenso semper processisse pede, bene scio; sed tentare licet, atque benevolus lector meminerit precor, me non nisi hypothesin meam censurae subjicere voluisse.

Forsitan materia huc pertinens, quae mihi omnino nova videbatur, ab aliis Antiquariis jam eruditius est tractata; nam sicuti haud raro eduntur dissertationes, quae, in librariorum nunquam emissae commercium, lectorem facile effugiunt, ita et frequenter eruditissimae singulorum numorum explicationes in variis contentae sunt operibus archaeologicis, quas omnes nosse et legisse vires excedit humanas. Sic e. g. cum meam de Pherarum pecunia conjecturam, nimirum mulierem equestrem et taediferam esse Dianam, neque vero, sicuti alii docuerunt, Cererem, chartae jam mandassem; eandem opinionem ab eruditissimo *Vossio* in opere „Mythologische Briefe“ inveni statutam. Multum tamen discriminis est meam inter et Vossii explicationem; Vossius enim affirmat, Dianam Pheraeam fingi equestrem propterea, quod simul cum Apolline fratre Admeti equas in Pherarum campo custodierit[7]); secundum meam autem conjecturam Diana Phe-

7) Voss, *Mytholog. Briefe, Tom. III. pag.* 71. „Im Pierischen Pherae, wo dem Admetos, laut Homer, Apollon Rosse geweidet, war Apollons Mitpflegerin Artemis und besorgte demnach auch hurtiger Rosse Zucht als ἱπποσσόα. So erscheint auf einer pheraeischen Münze die gaulschnellende Artemis, ein laufendes Ross reitend, mit Fackeln in den Händen, dem Abzeichen der Hekate-Selene“.

raea equo insidet, quia ipsa numen est aquatile, nimirum paludis Boebeidis domina.

Non omnia denique numismata, ex Museo Monacensi minus accurate descripta, in hoc opusculo sunt comprehensa. Omisi partim ea, quorum accuratior descriptio rerum antiquarum cognitioni verum non adfert commodum (horum numerus non est parvus); partim ea, quorum inscriptiones vel typi mihi ipsi dubii videntur; nam in rebus dubiis majorem habui Sestinio et Cousinéryo, quam mihi fidem.

Licet in definienda numorum patria et in statuendis novis typorum explicationibus virorum eruditorum assensum non semper sim obtenturus, non deerunt tamen, qui hoc in opusculo nonnullos detegi errores, hactenus silentio praeteritos, haud ingrato accepturi sint animo. Ego quidem contentus sum, si hoc tentamen possessoribus et custodibus aliarum collectionum forte incitamento erit, ut monumenta, quae prae manibus habent, repetito subjiciant examini; nam omnis adest ratio suspicandi, in aliis quoque Museis, sive publicis, sive privatis, nonnulla adservari numismata, quorum accuratior descriptio aliquid luminis in antiquitatem refundere possit.

Nunc accipe, benevole lector, hoc primum laboris studiique mei tentamen eo, quo scriptum est, animo, nimirum: „sine ira et studio, quorum causas procul habeo.“

Monachii anno MDCCCXXXIII.

NVMISMATA NONNVLLA GRAECA

HACTENUS

MINUS ACCURATE DESCRIPTA.

EVROPA.

DAVNIA.

CLITERNIA.

Caput Palladis galeatum ad dextram, pone A.

KAH Equus ad d. saliens, laxis habenis. Tab. I. Fig. 1 . .

. . . . . AR. 2.

Celeberrimus Sestinius hunc numulum ex Museo *Monacensi* vulgavit et CTEMENIS Thessaliae adjudicavit, in parte aversa legens *KTH* [1]). Haec epigraphe, literâ *T* haud satis perspicuâ, eo magis dubia mihi visa est, cum Sestinius ipse alio loco [2]) similem vul-

---

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. II. pag.* 12.
Mionnet, *Descript. de méd. ant. Suppl. Tom. II. pag.* 282. *no.* 134.

2) Sestini, *Lettere numism. Tom. IX. pag.* 25. *Tab. I. Fig.* 35.
Mionnet, *Descr. de méd. ant. Suppl. Tom. IV. pag.* 257. *no.* 134 *et* 137.

gasset ex Museo *Gothano* numulum, literas *KΛH* exhibentem, quem CLEONIS Argolidis tribuendum censuit, nempe:

Caput Palladis galeatum ad dextram.
KΛH Equus ad d. saliens, laxis habenis. . . . . AR. 2.

Tertius numulus similis in Museo *Britannico* adservatur cum inscriptione retrograda *KΛH* (non *KTH*), nempe:

Caput Palladis galeatum ad sin.
KΛH retrograde. Equus ad d. saliens, laxis habenis . . .
. . . . . AR. 2.

Taylorius Combeus, editor Musei Britannici, hanc monetam credit TARENTINAM [3]). Quae duo numismata (Musei Gothani et Britannici) me convicerunt, nostri quoque numuli epigraphen non esse *KTH*, sed *KΛH*, idque eo magis, cum litera T von plane appareat. Sed novam mihi injecit dubitationem quarta quaedam moneta, quam Sestinius ex Museo *Fontanano* sic descripsit [4]):

Caput Palladis galeatum ad dextram, pone A.
KTH Equus ad d. saliens, laxis habenis . . . . . AR. 2.

Mirum profecto, haec numismata, quae, sive fabricam et metallum, sive typum et magnitudinem spectes, adeo inter se congruunt, ut omnino ex eadem officina prodiisse dubitari non possit, unâ tantum literâ, nempe *T* et *Λ*, inter se differre, et hoc Ctemenas Thessaliae, illud Cleonas Argolidis vel Tarentum Calabriae habere patriam!

Qua dubitatione commotus clarissimum Fontanam, egregium antiquitatis eruditae cultorem, literis ad illum datis rogavi, ut suum numulum repetito subjiceret examini, utrum epigraphe *KTH*, quam

---

3) Combe, *Vet. popul. et regum numi, qui in Museo Britan. adservantur, pag.* 246 *Tab. XIII. fig.* 27.

4) Sestini, *Descr. del Mus. Fontan. Tom. II. pag.* 16. *Tab. III. fig.* 7.

Sestinius legit, profecto adsit, necne. Fontana tam literis, quam ectypis, familiariter mecum communicatis, certiorem me reddidit, in ipsius quoque numulo legi von *KTH*, sed *KΛH*, nempe:

Caput Palladis galeatum ad dextram, pone A.
KΛH retrograde. Equus ad d. saliens, laxis habenis . AR. 2.

Quodsi vero nullum hactenus inveniebatur numisma, literis indubiis *KTH* inscriptum [5]), tantum abest, ut noster numulus *Ctemenis* Thessaliae adtribui possit, ut haec urbs Thessalica omnino ex geographia numaria delenda mihi videatur; nam unicum numisma aeneum, *KTHMENAIΩN* inscriptum, quod Sestinius olim ex catalogo numorum Regis Poloniae vulgavit, editori ipsi dubium visum est [6]).

Cui vero urbi moneta, *KΛH* inscripta, adtribuatur? Sestinius proponit CLEONAS Argolidis [7]), quibus Cadalveneus [8]) alios quoque numos, hinc caput Phoebi radiatum adversum, inde taurum cornupetam et epipraphen *KΛH* exhibentes, adsignandos existimat; sed horum duumvirorum conjecturam ipsum urbis nomen refutat, quod constanter, tam a veteribus scriptoribus, quam in numis

---

5) Nuper perdoctus Arnethus literis certiorem me reddidit, in Museo quoque Caesareo Vindobonensi eundem adservari numulum, literis retrogradis *KΛH* inscriptum; ergo quatuor habemus numismata cum epigraphe indubia *KΛH*, (nempe in Museo Britannico, Fontanano, Gothano et Vindobonensi), nullum autem cum inscriptione *KTH*.

6) Sestini, *Classes generales, edit 2a pag.* 40.
Sestini, *Lettere numism. Tom. VIII. pag.* 42.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 282 *no.* 135.

7) Sestini, *Lettere numism. Tom. IX. pag.* 25.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 257 *no.* 134 *et* 137.

8) Cadalvene, *Receuil de méd. inéd. pag.* 199. *Tab. III. fig.* 5.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 257 *no.* 135.

antiquis scribitur *ΚΛΕΩΝΑΙ*, nempe cum *Ἔψιλῷ*. Ut solutae omittam orationis scriptores, poetae prima syllaba semper utuntur correpta. Sic legimus apud Claudianum [9]):

Una Cleonaeum pascebat silva leonem,

apud Ovidium [10]):

Messeneque ferax, Patraeque humilesque Cleonae;

Homerus in recensione navium habet [11]):

Ἀφνειόν τε Κόρινθον, ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς.

Numi quoque constanter *ΚΛΕ, ΚΛΕΩ, ΚΛΕΩΝΑΙΩΝ* exhibent [12]). Praeterea vocalis, alteram longam antecedens, raro ipsa longa est.

Sestinius quidem et Cadalveneus hanc difficultatem sensisse videntur, nam ambo animadvertunt, literas *H* et *E* in numis antiquis frequenter commutari, e. g. *ΑΘΕ* pro *ΑΘΗ*, *ΘΕΒ* pro *ΘΗΒ*; sed haec exempla probant quidem, in remotioris aevi monetis literam *E* adhiberi loco literae *H*, (et quidem propterea, quod litera *H*, ceu vocalis, nondum in Graecorum alphabetum [13]) recepta erat,) sed vice versa probandum fuerat, literam *H* nonnunquam adhibitam occurrere loco literae *E*, nempe pro *ΚΛΕ* scribi posse *ΚΛΗ*.

---

9) Claudian. *Lib. I. in Rufin. vers.* 285.

10) Ovid, *Metam. VI. vers.* 417.

11) Strabo, *Geogr. Lib. VIII. pag.* 377. *Tom. III. pag.* 256. *Tzsch.*

12) Eckhel, *Doctr. num. vęt. Tom. II. pag.* 289.
Pellerin, *Receuil de méd. grecq. Tom. I. pag.* 132. *Tab. XX. fig.* 12.
Sestini, *Lettere numism. Tom. VIII. pag.* 51. *Tab. V. fig.* 14.
Sestini, *Piu Musei, pag.* 93 *no.* 1 *et* 2 *Tab. XII. fig.* 14.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 258 *sqq.*
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 236 *sqq.*

13) *Οὐ γὰρ ἦ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ Ε τὸ παλαιόν.* Plat. *Cratylus.*

Attamen, si vox „Cleone“ constanter cum litera *E* (*κλΕωναι*) scribitur, numismata, epigraphen *KΛH* prae se ferentia, *Cleonis* adjudicari non possunt, et alia quaeri debet urbs monetaria.

Editor Musei Britannici tales numulos, ut supra dictum est, habet pro TARENTINIS. Neumannus nempe argumentis evicit verisimillimis, numismata, hinc caput Phoebi radiatum, inde taurum cornupetam et epigraphen *KΛH* exhibentia, ad Tarentum pertinere [14]). „Radiatum, inquit, Phoebi caput adversum conspicitur in certo numo Tarentino. Porro Tarentinis quandoque placuit, neglecto nomine, nonnisi *KΛH* suis numis inscribere. Id docet aureus Pembrochianus, qui hic caput Herculis, illic Neptunum [15]) bigis vectum exhibet (*Tom. I. Tab. IV. no.* 11). Is licet urbis nomen invideat, tamen indubitato a Tarentinis cusus est, quod conficio simillimo aureo Pellerinii (*Lettre I. Planche II. no.* 1), qui iisdem omnino signis addit nomen *TAPANTINΩN* [16]).“

Haec ingeniosa Neumanni [17]) conjectura de numis taurum

---

14) Neumann, *Animadv. in numos Pellerinii pag.* 237.

15) Figuram nudam, bigis vectam et tridentem gestantem, quam Avellinus quoque, Neumannum secutus, (Avellino, *Italiae vet. numism., pag.* 59 *no.* 16—19 *et pag.* 86) Neptunum, Eckhelius autem (*Doctr. num. vet. Tom. I. pag.* 147). Amphitriten nominat, esse Tarantem, Neptuni filium, Taylorius Combeus (*Mus. Britan. pag.* 32) extra omnem posuit dubitationis aleam.

16) Numo Pellerinii addi possunt, quos Avellinus (*Ital. vet. numism. pag.* 62. *no.* 64 *et Suppl. pag.* 30. *no.* 541) describit, in quorum parte postica literae fugitivae *ΣTH* legendae mihi videntur, sicut in Pembrochiano, *KΛH*.

17) Pellerinius (*Receuil de méd. Tom. III. Tab. CXV. fig.* 15). Combeus (*Mus. Hunter. Tab. LXVII. fig.* 16) et Mionnetus (*Descr. de méd. grecq. Tom. VI. pag.* 638 *no.* 168 *et* 169) hos numulos inter incertos retulerunt; Eckhelius (*Catal, Mus. Caes. Vindob. Pars I. pag.* 26) eos THVRIO Lucaniae; Sestinius denique (*Lettere numism. Tom. VIII. pag.* 50), Cadalveneus (*Receuil de méd. inéd. pag.* 199) et Mionnetus alio loco (*Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 257

cornupetam et epigraphen *KAH* prae se ferentibus, eruditissimo Taylorio Combeo ansam dedit, ut numulos quoque, hinc caput Palladis, inde equum salientem perhibentes, Tarentinos nominaret, et literas *KAH* magistratus cujusdam initiales censeret [18]). At ego quidem ad hanc sententiam accedere non possum; nam quod ad stilum picturae attinet, numus, equum salientem praeferens, ab altero, taurum cornupetam sistente, nimium differt, quam ut uterque, ne dicam sub eodem magistratu, sed eadem in urbe cusus credi possit. Porro ipsa literarum dispositio docet, epigraphen *KAH* in numo, equum salientem exhibente, ad magistratum quemdam pertinere non posse; quamvis enim in veteri pecunia haud raro, urbis nomine neglecto, literae magistratus tantum cujusdam initiales exhibeantur, hae tamen nunquam, sicut in nostro numulo, in triangulum distributae, totam occupant numismatis aream.

Quare epigraphe *KAH*, quae in numismate, taurum cornupetam offerente, sicut in aliis numis Tarentinis, verisimillime ad magistratum

---

no. 135) eos CLEONIS Argolidis tribuendos censuerunt. Mihi Neumanni conjectura de TARENTO magis adridet. Epigraphen *KAH* Cleonis non congruere, modo vidimus. Quod ad Thurium adtinet, Eckhelius nullas pro opinione sua exponit rationes; taurus cornupeta in Thuriorum quidem, sed in aliarum quoque urbium monetis frequentissime occurrit. Tarentum autem, praeter rationes a Neumanno adlatas, Centaurus quoque in area partis aversae quandoque tauro cornupetae additus, profitetur. (*Mus. Hunter. Tab. LXVII. fig.* 15. Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. VI. pag.* 638 *no.* 169.) Contaurus, aeque ac caput Phoebi radiatum et taurus cornupeta pecuniae admonet Epiroticae; quia vero urbs Epirotica, literis *KAH* inchoans, nota non est, dicti numuli, sicut aurei, hinc caput Phoebi radiatum, illuc fulmen praeferentes, (Avellino, *Ital. vet. numism. pag.* 87 *no.* 40 *Suppl. pag.* 28 *no.* 522. Millingen, *ancient coins, pag.* 11 *no.* 2 *Tab. I. fig.* 13) cusi videntur, quo tempore Pyrrhus, rex Epiri, a Tarentinis in Italiam accitus, bellum contra Romanos pro iis gessit.

18) Combe, *Vet. pop. et reg. numi Mus. Britan. pag.* 246 *et* 36 *no.* 29 *Tab. XIII. fig.* 27.

quemdam referri potest, in pecunia, equo saliente insignita, ad ipsum urbis monetariae nomen spectare debet.

Si vero numulus noster neque cum Sestinio *Ctemenis* Thessaliae vel *Cleonis* Argolidis, neque cum Taylorio Combeo *Tarento* Calabriae adjudicari potest; si insuper a veteribus geographis, quantum equidem sciam, nulla memoratur urbs, literis *KΛH* inchoans, quae cum quadam probabilitate pecuniae nostrae patria nominari possit: nil reliquum est, nisi conjecturam proponere, ex comparatione cum aliis numis desumtam.

Si nostram cum aliis comparamus monetis, ad *Arpanos* Apuliae deducimur, quorum pecunia, ejusdem metalli et magnitudinis, eosdem perhibet typos Palladis et equi salientis, nempe [19]):

Caput Palladis galeatum ad dextram.
APΓA retrograde. Equus ad d. saliens, laxis habenis.
Tab. I. fig. 2 . . . . . AR. 2.

Equus in Arpanorum pecunia ad Diomedis spectat cultum [20]), nam Salapia quoque et Beneventum, quia eundem, quem Arpi, habuerunt conditorem Diomedem, eundem aeri suo inscripserunt typum, nempe equum salientem; et Strabo, ubi de insulis Diomedeis, de *Dauniis* et Argo Hippio verba facit, adnotat [21]): „memoriae autem proditum est, Diomedi apud Venetos quoque aliquos honores esse

---

19) Millingen, *Receuil de méd. grecq. inéd. pag.* 17. *Tab. I. fig.* 11.

20) Si equum in Arpanorum pecunia ad Diomedis cultum referimus, Eckhelii opinio, affirmantis, eum ad vetus urbis nomen „Argos HIPPION“ adludere (*Doctr. num. vet. Tom. I. pag.* 140) non rejicitur; verum hoc vetus urbis nomen unicam non fuisse rationem, cujuscausa Arpani in pecunia sua equum signaverint, numi probant Salapiae et Beneventi, qui eundem exhibent typum, quamvis nunquam idem habuerint cognomen.

21) Strabo, *Lib. V. pag.* 215 *Tom. II. pag.* 110. *Tzsch.*

Stadtbibliothek
Augsburg

decretos, *καὶ γάρ θύεται λευκὸς ἵππος αὐτῷ, nam albus equus ei immolatur.*“ Propter hunc Tydidae cultum Arpani cum equo, Diomedi sacrato, Palladis quoque caput in monetis suis conjunxerunt; nam hoc numen in summis honoribus esse debuit in urbe, quam is, qui Palladis ope Superis par factus est[22]), condiderat; atque, teste Strabone[23]), Luceriae, quae erat antiqua Dauniorum urbs, templum erat Palladis, quod Diomedes ipse amplis donariis ornavisse dicitur.

Diomedes tamen non apud Arpanos, Beneventinos et Salapinos tantum, sed, ut ex Strabone vidimus, per totam etiam Dauniam divinis colebatur honoribus. Quare si ex eodem typo eadem concludi potest patria, nostrum quoque numulum, capite Palladis et equo saliente inscriptum, Diomedis profiteri cultum et in Daunia cusum esse, suspicari licet.

Inter Dauniae oppida Pomponius Mela[24]) et Plinius[25]) nominant CLITERNIAM, e regione insularum Diomedearum sitam. Nonne igitur huic urbi numulus noster tribuendus esse videtur? Dicti latini scriptores mentionem quidem faciunt de CLIternia, numulus autem *ΚΛΗ* inscriptus est; sed literam graecam *H* a Latinis frequenter commutari cum litera I, plura habemus exempla; sic in monetis, graece inscriptis, exhibetur *ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ*, apud scriptores autem Romanos passim PETILIA legitur; simili modo CABIRA Ponti in numis scribitur *ΚΑΒΗΡΩΝ*, TELEMISSVS Cariae *ΤΕΛΕΜΗΣΣΕΩΝ*. Huc pertinent nomina propria, SCIPIO, NVMITOR, PALILIA, etc., quae Plutarchus graece vertit *ΣΚΗΠΙΩΝ*, *ΝΟΜΗΤΩΡ*, *ΠΑΛΗ-*

---

22) Horat. *Carm. Lib. I. Od.* 6.

23) Strabo, *Lib. VI. pag.* 284. *Tom. II. pag.* 301. *Tzsch.*

24) Pomp. Mela, *Lib. II. cap.* 4.

25) Plin, *hist. nat. Lib. III. cap.* 11.

ΛΙΑ. Hinc etiam nomen CLITERNIA a Graecis scribi potuit *ΚΛΗΤΕΡΝΙΑ*[26]).

Quare ne dicam, literam *A*, quae in area partis adversae pone caput Palladis exhibetur, ad ipsos vicinos Arpanos spectare; tam typus, (caput Palladis et equus saliens) quam epigraphe *ΚΛΗΙ* urbi Daunicae convenit, atque Cliternia sive *Κλητερνία* cum quadam certe veri similitudine numuli nostri urbs genitrix nominari potest.

Sed ingenue fateor, me Cliterniam proposuisse ex hac potissimum causa, quia aliam nescio urbem, cui numulus noster adtribui possit. Forsitan alii in definienda ejusdem patria feliciores sunt; ego quidem contentus sum, si dictum numulum neque Ctemenensem, neque Cleonaeum, neque Tarentinum esse probaverim; ea autem, quae de Cliternia memoravi, quamvis a probabilitate non omnino aliena videantur, tamen nonnisi per conjecturam dicta volo[27]).

---

26) Simili modo Cliterna Galliae Cispadanae nunc nominatur *Κλιτερνα* (Strab. *Lib. V. pag.* 115. *Tzsch.*), nunc *Κλατερνα* (Ptolem., Cicer. *Philipp. VIII. cap.* 2. Plin. *hist. nat. III.* 15.).

27) Forte sunt, quibus scrupulus haereat, an *fabrica* numismatis, ex qua haud raro vera numorum patria investigari potest, ad Dauniam spectet; at quam fallax sit oportet criterium, quod summos fallit in arte magistros? nam cum viri eruditissimi et in distinguendis variis variarum provinciarum notis exercitatissimi, quales sunt Domin. Sestinius et Taylorius Combeus, eundem numulum nunc Thessaliae, nunc Argolidi, nunc Calabriae, quae provinciae tamen longe inter se distant, adjudicare non dubitent; (ad omnes enim tres provincias ejusdem pecuniae artificium spectare non potest,) mirum jam non videbitur, si nunc Daunia in medium affertur, gravioribus pro ea, quam contra eam pugnantibus rationum momentis.

THRACIA.

BIZYA.

Philippus junior.

M. IOYA. ΦIΛIΠΠOE KAIC. Caput Philippi junioris ad d.

BIZ$\overline{TH}$ΩN. Vir nudus ad d. gradiens, ex utre, quem humeris impositum utraque manu tenet, liquorem effundit in vas ante eum stans. *Tab. I. fig.* 3 . . AE. 4.

De urbe Bizya, quae a Plinio [1]) nominatur arx regum Thraciae, a Solino [2]) arx Terei regis, a Stephano Byzantino [3]) *τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον*, ab aliis fusius actum est.

Typum nostro consimilem offert numus Corcyrensis, ubi Faunus conspicitur caudatus, liquorem ex diota in aliud vas effundens [4]). Cauda in nostra figura dignosci non potest, aut nunquam insculpta, aut temporum injuria detrita.

---

1) Plinius, *Hist. nat. Lib. IV. cap.* 11.

2) Solin, *Polyhist. cap.* 10.

3) Stephan. Byzant. *s. v. BIZTH.*

4) Neumann, *Numi vet. ined. Tom. I. pag.* 177.
Pellerin, *Receuil de méd. de peuples et de villes. Tom. III. Tab. XCVI. fig.* 19.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 71 *no.* 28 *et* 29.
Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier de Hauteroche, pag.* 42.

Idem, ut mihi videtur, numisma in Museo saepe laudati Allieri de Hauteroche adservatur, nimirum [5]):

BIZTHNΩN. Vir nudus utrem, humeris impositum, portans; pro pedibus vas. AE.

Nostrum autem docet, descriptioni modo citatae addendum esse, hunc virum nudum ex utre, humeris imposito, liquorem effundere in vas pro pedibus stans.

Sestinius plurimum aberravit, cum figuram nudam sumens pro Marte, utrem humeris impositum pro tropaeo, liquorem denique pro frugibus, numismatis nostri partem aversam his describeret verbis [6]):

BIZTHNΩN. Mars nudus gradiens utraque tropaeum humeris positum tenet, ante vas frugibus refectum.

De typi significatione nil dicendum; nam eum ad Bacchum spectare, quem Thraces singulari prosequebantur cultu, nemo non videt.

GONEIS.

Caput Jovis laureatum ad dextram.

. *ONNE* . . Aries stans ad dextram. *Tab. I. fig.* 4 . . AE. 5.

Sestinius hanc monetam insulae *Haloneso* adtribuit, eam ex Museo Cousineryano, nunc Monacensi, describens his verbis [1]):

---

5) Dumersan, *loc. cit. pag.* 22.

6) Sestini, *Descr. numor. vet. pag.* 46 *no.* 3.

1) Sestini, *Descr. numor. vet. pag.* 155.

Caput Jovis laureatum.
ΑΛΟΝΗΣ . . Aries stans.

Mionnetus, Sestinii auctoritate ductus, eandem descriptionem in opus „Description de médailles grecques“ recepit[2]). Tanto nomini quis fidem von habeat? Hoc tamen non obstante diffidentiae erat causa; nam quamvis epigraphen summa, qua fieri potuit, attentione semel atque iterum contemplatus sim, literas tamen *ΑΑ* detegere non potui; quatuor autem literae, quas Sestinius legit *ΟΝΗΣ*, re vera leguntur *ΟΝΝΕ*.

Quia vero epigraphe *ΑΛΟΝΗΣ* in numo non conspicitur, literae autem . *ΟΝΝΕ* . . ad *Halonesum* non spectant, haec insula unico isto, quod hactenus ad eam relatum erat, numismate privari debet. Pellerinius quidem duas Haloneso adjudicavit monetas, nempe:

Caput muliebre adversum.
ΦΙΛΙΠ. ΑΛΟ. Aquila rostro serpentem stringens AE.[3]).

Columba ad sinistram volans.
ΑΑ in corona laurea. AE.[4]).

sed hanc ad Sicyonem, illam ad Chalcidem pertinere, certo constat. *Haloneso* igitur insulae perperam hactenus in republica numismatica locus fuit.

Nescio autem, num in patria monetae nostrae investiganda felicior antecessoribus meis sim futurus. Initium inscriptionis deesse, perspicuum quidem; unam tantum literam esse supplendam, ob loci

---

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 310.

3) Pellerin, *Receuil de méd. de peuples et de villes. Tom. III. p.* 26. *Tab.* 89 *fig.* 2.

4) Pellerin, *loc. cit. pag.* 171. *Tab. CXXIII. fig.* 3.

angustiam verisimile; at quae litera suppleri debeat, hoc opus, hic labor est.

Aliud numisma magis integrum, quod opportunam huic ferat opem, cum me lateat, ex mera conjectura literam *Γ* supplendam et *ΓΟΝΝΕΩΝ* legendum existimo propterea quia id simplicissimum mihi videtur. — Quaeritur jam, cui patria moneta, *ΓΟΝΝΕΩΝ* inscripta, debeatur?

Gonnus Thessaliae frequenter ab antiquis scriptoribus memoratur, nimirum Gonnus, (Liv. XLII., 54) Gonni, (Liv. XXXVI., 10) *Γόννοι*, (Steph. Byzant.) *Γόννος Περῥαιβική*, (Strab. X. pag. 303) *Γόνος Περῥαιβική*, (Lycophr.). Num fortasse hoc oppidum numismatis nostri patria? Ego quidem dubito; nam quod ad typum attinet, aries Thessaliae numis est alienus; quod spectat ad epigraphen, sane, si moneta nostra ad Gonnum pertineret, legendum esset *Γοννων*, neque vero *ΓονnΕων*.

Quare alia adfinis nominis quaerenda est urbs; attamen ubi tutius consisterem, non reperi nisi *Goneas Thraciae*.

Stephanus Byzantinus habet: *ΓΟΝΝΟΙ πόλις Περῥαιβίας*, atque[5]): *ΓΟΝΕΙΣ πόλις Θράκης, οἱ κατοικοῦντες ὁμοίως. Οἱ δὲ Ἀδριανοπολίτας τούτους ἐκάλεσαν. GONEIS urbs Thraciae. Incolae eodem nomine insigniuntur. Nonnulli eos appellant Adrianopolitas.* Ex hoc Stephani testimonio compertum habemus, praeter *Gonnum Thessaliae*, *Goneas* quoque *Thraciae* extitisse. Huic autem Thraciae urbi tam epigraphe *ΓΟΝΝΕΩΝ*, quam typus arietis congruit; aries enim in pecunia Thracica perfrequenter visitur, e. g. in numis Maroneae, Perinthi, Hephaestiae, Samothraces. Forsitan sunt, qui objiciant, nomen *ΓΟΝΕΙΣ* unam solam, nostrum autem numisma

---

5) Steph. Byz. *s. v. ΓΟΝΕΙΣ.*

duplicem habere literam *N*, nempe .*ONNE*.; sed alii ejusdem urbis nomen cum duplici *N* scribunt, e. g. Eustathius habet [6]): *ΓΟΝΝΕΙΣ, οὐ δὲ αὐτοὶ Ὁμηρικοί εἰσιν· ἀλλὰ πόλις Θράκης κατὰ τοὺς παλαιούς· οἱ δὲ Ἀδριανοπολῖται.*

Ad *Goneas* igitur sive *Gonneas Thraciae* tam typus arietis, quam epigraphe .*ONNE*.. spectat. Huc accedit, arietem in Graecorum mythologia generationis esse symbolum. Sic aries in pecunia Samothraces et Hephaestiae sine dubio ad Cabirorum referri debet mysteria [7]), in quibus cultus Hermae Ithyphallici antiquissimus et religiosissimus [8]). Simili modo fabulantur, Pana Arcadicum, *arietis* figuram mentitum, Lunam fefellisse [9]), atque Jovem sive Coelum *arietis* testiculos in Cereris seu Terrae gremium dejecisse [10]); quae fabulae nonnisi commutatis verbis et symbolis unam eandemque tradunt doctrinam Samothraciam de activo generationis principio. Sicut autem aries, Hermae Ithyphallici, vel Jovis Coeli, vel Panos Arcadici admonens, generationis est symbolum; ita nomen urbis nostrae monetariae, *ΓΟΝΕΙΣ* sive *ΓΟΝΝΕΙΣ*, verborum *γονέω*, *γονεύω generare*, *γονή semen*, etc. commonefacit.

Sed forsitan alii aliam cognitam habent monetam, cum integra inscriptione eleganterque servata, quae meam conjecturam superfluam et inanem reddit. Utcunque res se habet, numisma nostrum ad Halonesum pertinere non posse, persuasum nobis habemus. Certiora docebit aetas.

---

6) Eustath. *ad Iliad. B. pag.* 289.

7) Creuzer, *Symbolik und Mythologie. Tom. II. pag.* 329.

8) Cf. Herodot. *Lib. II. cap.* 51.

9) Macrob. *Saturn. V.* 22.
Virgil, *Georg. Lib. III. v.* 391.

10) Creuzer, *Symbolik. Tom. II. pag.* 329 *not.* 15.

CHERSONESVS THRACIA.

SESTVS.

1) Caput muliebre ad sin.

ΣHΣ. Herma. *Tab.* 1 *fig.* 5 . . . . . AE. 2.

2) Caput muliebre ad dextr.

ΣHΣ. Herma, in area monogramma. *Tab. I. fig.* 6 . . . . . AE. 2.

3) Herma, hinc spica, inde caduceus.

ΣH. Diota. *Tab. I. fig.* 7 . . . . . AE. 2.

4) Herma, hinc spica, inde caduceus.

ΣA Diota. *Tab. I. fig.* 8 . . . . . AE. 2.

5) Caput Mercurii petaso tectum ad sin.

ΣA. Diota. *Tab. I. fig.* 9 . . . . . AE. 3.

6) Caput Mercurii petaso tectum ad sin.

ΣA. Mulier ad sin. basi insidens, cui sinistra innititur, dextra extenta duas spicas sustinet; in area diota. (*Mus. Hunter.* Tab. XLVI. fig. 15.) *Tab. I. fig.* 10 . . . . . AE. 4.

7) Caput muliebre ad dextram.

ΣH. Mercurius ad sin. stans, d. elata caduceum tenens, sinistra strophio obvoluta, pendente retro petaso; in area diota. *Tab. I. fig.* 11 . . . . . AE. 4.

8) Caput muliebre ad sin., capillis filo revinctis.
ΣΗΣΤΙΑ. Mulier ad sin. basi insidens, cui sinistra innititur, d. extenta duas spicas praeferens; in area signum incertum et litera *Δ. Tab. I. fig.* 12 . . . . . AE. 4.

9) Caput muliebre ad sin., capillis filo revinctis.
ΣΗΣΤΙΑ. Mulier ad sin. basi insidens, cui sinistra innititur, d. extenta duas spicas tenens; in area herma. (*Pellerin. Receuil.* Tom. I. Tab. XXXV. fig. 40. *Mionnet, Descr. de méd. grecq.* Tom. I. pag. 429 no. 30) *Tab. I. fig.* 13 . . . . . AE. 4.

10) Caput muliebre ad sin., capillis filo revinctis.
ΣΑ. Mulier tutulata ad sin. basi insidens, cui sinistra innititur, d. extenta duas spicas tenens; in area herma. (*Sestini, Mus. Fontan.* Tom. III. Tab. II. fig. 10.). *Tab. I. fig.* 14 . . . . . AE. 4.

Herma, Mercurius, caduceus, spica et diota sunt typi Pelasgis, Lemnum, Imbrum et Samothracen inhabitantibus, usitati, qui Cabirorum mysteria, in Cereris peculiariter et Mercurii honorem instituta, testantur. Quare eruditissimus Millingenius [1]) numisma, sub numero 6 descriptum, quod Carolus Combeus in descriptione Musei Hunteriani [2]) Salae *Phrygiae* adtribuendum censuerat, *Thraciae*, ubi peculiaria Cabirorum mysteria usu recepta erant, esse vindicandum recte judicavit. Ex eadem ratione clarissimus Allierus de Hauteroche [3]) et celeberrimus Raoul. Rochette [4]) monetam sub

---

1) Millingen, *ancient coins of greek cities and kings, pag.* 42.

2) Combe, *Descr. Mus. Hunter. pag.* 256. *Tab. XLVI. fig.* 15.

3) Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier de Hauteroche, pag.* 25. *Tab. III. fig.* 18.

4) Raoul-Rochette, *Journal des Savans*, 1831. *pag.* 558.

numero 4., atque saepe laudati duumviri Sestinius [5]) et Mionnetus [6]) consimilem, sub numero 10. descriptam, *Thraciae* adjudicaverunt.

Equidem, ut his Eruditis facile subscribo, quod ad terrarum tractum attinet, sic de urbe dissentio; nimirum Sestinius, Allierus de Hauteroche, Millingenius, Raoul-Rochette et Mionnetus dictos numos, literas *ΣA* praeferentes, *Salae* adtribuerunt. *Sala*, Aeno vicina, ad Hebri ostia in Dorisco sita, ab Herodoto quidem urbs nominatur Samothracia; hinc numismata controversa, literas *ΣA* et typos Pelasgos exhibentia, non sine gravi causa Salae quidem Thraciae adscribuntur; at numismata, *ΣHΣTIA* inscripta, huic sententiae repugnant.

Nihil est in antiquitatis scientia antiquius, quam monumenta monumentis componere, atque sane numi numorum optimi sunt interpretes. Numis, quos *Salae* adjudicant, cum *Sestiacis* comparatis, nemo non videt, arctissimam inter se esse adfinitatem. Quos typos Pelasgos in monetis, literas *ΣA* praeferentibus, eosdem et in numis habemus *ΣH*, *ΣHΣ* et *ΣHΣTIA* inscriptis, atque horum numorum, *ΣA* vel *ΣH* exhibentium, sive fabricam et stilum picturae, sive typum et metallum spectes, talis est conditio, ut omnes eandem officinam monetariam, ne dicam ejusdem artificis manum, aperte profiteantur.

Me quidem non latet, urbes vicinas nonnunquam pecuniam suam communi consilio ad eandem legem et normam signasse, atque, spectato typo et artificio, numos fabricasse inter se simillimos; verum an idem affirmari possit de urbibus, per totam Chersonesi peninsulam

---

5) Sestini, *Mus. Fontan. Tom. III. pag.* 10. *Tab. III. fig.* 10.

6) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. II. pag.* 482 *no.* 1649.

sejunctis, nimirum de Sala et Sesto, atque de monetis, solis literis *A* et *H* distinctis, id est, quod in dubium revocem oportet.

Nemo enim ignorat, vocales *A* et *H* in variis varias esse dialectis; quam ob rem equidem omnes hos numos, sive *ΣA* sive *ΣH* exhibeant, quia adeo inter se conspirant, ut non ovum ovo similius esse queat, eidem deberi urbi genitrici, nempe *Sesto*, monetarios autem Sestiacos duplici usos esse dialecto, censeo.

Sestum, quemadmodum Salam, urbem fuisse Pelasgam, tam ex numorum typis compertum habemus, quam ex Scymni Chii testimonio, tradentis: „Pelasgos, Lemnum incolentes, Sestum et Abydum condidisse“ [7]). In pecunia vero unius ejusdemque urbis duplicem saepius adhiberi dialectum, nemo est, qui nesciat. Sic habemus, ut de Thracia tantum mentionem faciam, numismata inscripta: *ΘΑΣΙΩΝ* et dorice *ΘΑΤΙΩΝ*, *ΜΕΣΑ* vel *ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ* et dorice *ΜΕΤΑ* vel *ΜΕΤΑΜΒΙΑΝΩΝ*, *ΒΙΖΥΗΝΩΝ* et *ΒΙΖΥΑΝΩΝ*; pari modo perdoctus C. O. Müllerus nuper ex loco Apollonii Alexandrini numos *ΣE* vel *ΣI* literis inscriptos, in quorum patria investiganda multum laborarunt eruditissimi Antiquarii, non hos Siphno, illos Seripho, sed omnes Sicyoni Achaiae esse tribuendos, docuit [8]).

Quae cum ita sint, omni cum verisimilitudine concludi potest, numos supra descriptos, sive *ΣA* sive *ΣH* literas praeferant, non hos Sesto, illos Salae, sed omnes *Sesto* deberi, idque eo magis, cum etiam moneta inveniatur dorice *ΣΑΣΤΙΩΝ* inscripta [9]).

---

7) Raoul-Rochette, *Hist. de colon. grecq. Tom. I. pag.* 187. *Tom. III. pag.* 137.

8) Annales de l'Institut de corresp. archéol. *Vol. II. pag.* 336.

9) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. I. pag.* 430 *no.* 32.

REGES THRACIAE.

COTYS V. et RHESCVPORIS.

ΒΑΣΙΛΕ . . . . ΤΥΣ. Caput Cotyos V. imberbe diadematum, cum paludamento, ad dextram.

ΒΑΣΙΛΕ . . ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΕΩΣ. Victoria ad d. gradiens, d coronam, sin. lauri ramum tenens. *Tab. I. fig.* 15 . . . . . AE. 4.

Nomen Rhescuporidis, si omnibus descriptionibus fides habenda, in numis varie scribitur. Caryus [1]) et Mionnetus [2]) habent: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ*; editor Musei Theupoli [3]), Eckhelius [4]), Viscontius [5]) et Mionnetus alio loco [6]) legunt: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ*; Peirescus [7]) vidit: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΕΩΣ*; in nostra denique moneta, optime conservata, exhibetur: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΕΩΣ.* Utrum idem nomen a veteribus scriptoribus et in antiquis monumentis reipsa

---

1) Cary, *Histoire des Rois de Thrace, pag.* 75. *Tab. II. fig.* 8.

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. I. pag.* 449 *no.* 151.

3) Musei Theupoli *antiqua numism., pag.* 1240.

4) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 59.

5) Visconti, *Iconographie grecque, Tom. II. pag.* 150. *Tab. VI. fig.* 8.

6) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. II. pag.* 556 *no.* 43.

7) Cary, *Hist. des Rois de Thrace, pag.* 76.

tam vario modo scriptum sit [8]), an in omnibus descriptionibus, modo citatis, corrigi debeat *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΕΩΣ*, ii decidant oportet, qui varia, supra citata, numismata prae oculis habent [9]).

Numisma commentario non eget. Qui fortunam Cotyos et Rhescuporidis et sensum typi accuratius nosse cupit, consulat opus Caryi, cui titulus: „*Histoire des Rois de Thrace*“, et Visconti „*Iconographie grecque*“.

---

8) Similiter nomen „PAERISADES“ apud Diodorum, Polyenum, Demosthenem et Dinarchum scribitur *ΠΑΡΥΣΑΔΗΣ*, *ΠΑΡΙΣΑΔΗΣ* et *ΒΑΡΙΣΑΔΗΣ*; in inscriptione autem Comosaryes et in numis *ΠΑΙΡΙΣΑΔΗΣ*. Koehler, *Dissert. sur le monument de Comosarye, pag.* 15.

9) Hoc temporis momento perdoctus Arnethus literis ad me datis certiorem me reddit, in numismate, olim Musei Theupoli, nunc Musei Caes. Vindobonensis, non legi, sicut editor Musei Theupoli scripserat, *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΙδος*, sed, sicut in nostro, *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΕΩΣ*.

MACEDONIA.

SPARTOLVS BOTTIAEAE.

1) Aquila sursum volans rostro serpentem stringit, intra quadratum incusum.

ΣΠΑ. Equus dimidius ad sin. saliens; infra granum hordei. *Tab. I. fig.* 16 . . . . . AR. 2.

2) Aquila sursum volans rostro serpentem stringit, intra quadratum incusum.

$\frac{\Sigma\Pi}{A}$ Equus dimidius ad sin. saliens. (*Ex Museo Caes. Vindob.*) . . . . . AR. 2.

Clarissimus Sestinius numum priorem ex Museo Regis Bavariae describens [1]), legit in parte aversa *ΑΣΠΛ*, et eum *Aspledoni*, urbi Boeotiae adtribuit; qui ipsum induxit, ut alterum quoque Musei Caes. Vindobonensis eidem adjudicandum esse Boeotiae urbi crederet [2]). Sestinii auctoritate motus et Allierus de Hauteroche,

---

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. IV. pag.* 65. *Tab. I. fig.* 19.

Sestini, *Classes generales, edit.* 2. *pag.* 45.

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 509 *no.* 45.

2) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. II. pag.* 23.

Mionnet, *Descr. Suppl. Tom. III. pag.* 509 *no.* 46.

vir in scientia numaria nulli secundus, numulum, ei, qui in Museo Vindobonensi adservatur, omnino consimilem, eidem Aspledoni tribuere non dubitavit [3]).

Aspledon urbs, quae nomen accepit ab Aspledone, Neptuni et Mideae filio, ab Homero quidem cum Orchomeno inter celeberrimas numeratur Boeotiae urbes; at ego dubito, an pecunia, Aspledonis nomine inscripta, inveniatur.

Aspledon, teste Strabone [4]), mox nomen suum mutavit, *Ἀσπληδὼν*, inquit, *εἶτ' Εὐδείελος μετωνομάσθη καὶ αὐτὴ καὶ ἡ χώρα Aspledon deinde et ipsa et ager ejus Eudeielos est appellata;* Pausanias autem refert [5]): *Ἀσπληδόνα δὲ ἐκλιπεῖν τοὺς οἰκήτοράς φασιν, ὕδατος σπανίζοντας, Aspledonem ob aquarum penuriam desertam tradunt.* Stephanus denique Byzantinus scribit [6]): *Ὕηττὸς κώμη Βοιωτίας. Ὠνόμασται δ' οὕτω διὰ τὸ καθύεσθαι σφοδροῖς ὄμβροις. Τινὲς δὲ τὴν Ἀσπληδόνα Ὕηττον ἐκάλεσαν. Hyettus vicus Boeotiae. Sic vero nominabatur, quod vehementibus imbribus compluatur. Aliqui vero Aspledonem Hyettum vocavere.*

Quae tria testimonia si inter se contulerimus, incolas Aspledonis, quae mox Eudeielos nominabatur, ob aquarum penuriam patria relicta, Hyettum, aqua abundantem, migrasse compertum habemus [7]). Hanc migrationis epocham et illam nominis mutationem in remotum referendam esse aevum, veterum scriptorum de Aspledone silentium

---

3) Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier. de Hauteroche*, pag. 45.

4) Strabo, *Lib. IX. cap.* 2 *pag.* 479. *Tzsch.*

5) Pausan., *Boeot. cap.* 38, 6.

6) Steph. Byz. *s. v. ΤΗΤΤΟΣ.*

7) Conf. C. O. Müller, *Orchomenos oder die Minyer*, pag. 211.

nos admonet. Quapropter, an pecunia, Aspledonis nomen exhibens inveniatur, recte dubitari potest.

Quod attinet ad numismata Aspledoni adtributa, in numulo Musei Monacensis, ubi cl. Sestinius legit *ΑΣΠΛ*, prima litera *Α* non adest; at ponamus, hanc primam literam non esse necessariam, quia, teste Strabone [8]), Aspledon, prima syllaba omissa, etiam Spledon pronunciabatur; noster tamen numulus non epigraphen *ΣΠΛ*, (cum litera *Λ*, nempe *ΣΠΛηδων*,) sed *ΣΠΑ* (cum litera *Α*) exhibet, ut singulis patebit, qui accuratissimam numismatis figuram fixis contemplaturi fuerint oculis. Ordo denique literarum unicuique persuadebit, literas *ΣΠΑ* in numulo nostro per transpositionem *ΑΣΠ* legi non posse; hinc in numulo quoque Musei Vindobonensis epigraphe $\frac{\Sigma\Pi}{A}$ non *ΑΣΠ*, sed *ΣΠΑ* legi debet. Pecuniam vero *ΣΠΑ* inscriptam nemo erit, qui Aspledoni adtribuat.

Sed Sestinius nuper tertium quoddam vulgavit ex Museo Fontanano numisma, quod epigraphen *ΑΣΠΛ* et quem numismata controversa, eundem typum praefert!? nimirum [9]):

ΑΣΠΛ. ΡΑΔΟΚΟ. (*Haec secunda vox retrograda.*)
Equus ad sin. gradiens.
Aquila sursum volans rostro serpentem stringit . . . AR. 4.

Quid ultra desideras? An etiam nunc de Aspledone dubitas, cum certissimam habeamus monetam *ΑΣΠΛ* inscriptam?

Hic numus profecto aliquid negotii facessere posset, si ejus descriptioni fides esset habenda; quam tamen ei negandam esse putavi,

---

8) Strabo, *loc. cit.* *Τὴν δ' Ἀσπληδόνα χωρὶς τῆς πρώτης συλλαβῆς ἐκάλουν τινές.*

9) Sestini, *Descr. d'alcune med. del Mus. Fontan. Tom. I. pag.* 135.

atque re vera Carolus Fontana, ex cujus scriniis Sestinius eum vulgavit, a me rogatus, tam literis, quam ectypis certiorem me reddidit, in controverso numismate non nisi literas *ΣΠ* discerni posse. Quae cum ita sint, in Musei Fantanani quoque numulo secundum analogiam duorum numismatum, supra citatorum, *ΣΠΑ* potius, quam *ΑΣΠΛ* suppleri debet.

Hactenus igitur nullum inveniebatur numisma, quod cum quadam probabilitate *Aspledoni* adtribui possit, atque haec urbs Boeotica e Geographia numaria omnino delenda esse videtur. At quaeritur, ubinam gentium moneta nostra malleum subierit? Ad comparationem numorum cum numis confugiamus necesse est.

Si pecuniae nostrae typum contemplamur, eum vix ac ne vix quidem ab *Olynthorum* numis, a Cadalveneo vulgatis [10]), abludentem inveniemus. Numismata Olynthia sunt:

Equus ad d. stans, pone columna.
ΟΛΥΝ. Aquila volans rostro serpentem stringit; omnia intra quadratum incusum . . . . . AR. 3.

Equus ad d. saliens.
ΟΛΥΝ. Aquila volans rostro serpentem stringit; omnia intra quadratum incusum . . . . . AR. 3.

Equus, me judice, Apollinis cultum, aquila autem, rostro serpentem stringens, Olynthorum significat originem Chalcidicam. Quodsi vero iidem typi eandem profitentur patriam, nostram quoque monetam, quia eundem, quem Olynthorum pecunia, praefert typum, nimirum aquilam Chalcidicam et equum salientem, ex officina monetaria, Olyntho vicina, prodiisse, dubitari non potest.

---

10) Cadalvene, *Receuil de méd. grecq. inéd. pag.* 72 *no.* 3 *et* 4. *Tab. I. fig.* 30 *et* 31.

Cognito autem terrarum tractu, urbs monetaria nullo negotio ex literis *ΣΠΑ* cognosci potest. *Spartolum Bottiaeae* urbem huc esse referendam, nullus quidem dubito. Ceterum neminem fore spero, quem offendat, me, quamvis modo Olynthi, urbis *Chalcidicae*, admonuerim, nunc tamen Spartolum, urbem *Botticam*, proponere; nam Bottiaei Chalcidensibus erant vicini [11]), atque exempla, mox ex historia citanda, satis docent, Chalcidenses et Bottiaeos unum potius, quam duos fuisse populos, tam situ geographico, quam foederibus arctissime inter se junctos.

Thucydides, quo loco foedera recitat, quae Athenienses et Lacedaemonii et utriusque civitatis socii decimo belli Peloponnesiaci anno inierunt, sequentes nominat urbes [12]): *Ἄργιλον, Στάγειρον, Ἄκανθον, Σκῶλον, ΟΛΥΝΘΟΝ καὶ ΣΠΑΡΤΩΛΟΝ.* Ipse ordo, quem Thucydides in hac urbium recensione sequitur, verisimillimum reddit, Spartolum Olyntho fuisse vicinam; nam quod attinet ad harum urbium situm geographicum, (si Macedoniam a septentrione ad meridiem versus peragraris,) Stagirus Argilum, Acanthus Stagirum, Olynthus Acanthum, hinc secundum analogiam Spartolus Olynthum sequitur.

Alius ejusdem scriptoris locus omnem tollit de Spartoli situ dubitationem. „Athenienses, inquit [13]), cum duobus millibus sui corporis militum graviter armatorum et ducentis equitibus bellum intulerunt Chalcidensibus Thraciae et Bottiaeis, frumento jam maturo. Cum autem ad Spartolum Botticam copias duxissent, frumentum corrupe-

---

11) Thucyd. *Lib. II.* 99. *Βοττιαῖοι, οἳ νῦν ὅμοροι Χαλκιδέων οἰκοῦσι.*

Schol. Thucyd. *Lib. II.* 79. *Βοττιαῖοι ἀποικοι Μακεδόνων· εἰσὶ δὲ ἐν τῇ Θρᾴκῃ, πλήσιον Χαλκιδέων.*

12) Thucyd. *Lib. V. cap.* 18.

13) Thucyd. *Lib. II. cap.* 79.

runt. Sed cum *Spartoli* cives *Olynthum* nuntios, auxilium petituros, misissent, gravis armaturae milites venerunt ad urbis custodiam. Qui cum *Spartolo* adversus hostem prodiissent, Athenienses proelium ad ipsam urbem cum iis commiserunt. Et Chalcidensium gravis armatura, et cum illis nonnulli auxiliarii milites ab Atheniensibus vincuntur, et in urbem se recipiunt. Chalcidensium vero equitatus et levis armatura vincit Atheniensium equitatum et levem armaturam. Chalcidenses autem habebant aliquot cetratos, cumque non multo ante praelium commissum fuisset, alia cetratorum manus, *Olyntho* missa, suis subsidio venit. Tunc vero levis armaturae milites, qui *Spartoli* erant, cum novum subsidium vidissent, cum Chalcidensium equitatu et subsidiariis Athenienses iterum invaserunt, eosdem maxime perculsos in fugam verterunt et longe sunt persequuti. Atque Athenienses quidem fuga *Potidaeam* se receperunt, posteaque, suorum cadaveribus fide publica interposita receptis, cum copiarum reliquiis Athenas reverterunt. Chalcidenses vero et Bottiaei tropaeum statuerunt, susceptisque suorum cadaveribus, in suas quique urbes discesserunt".

Ex hac narratione Spartolum Olyntho non tantum fuisse confoederatam, sed etiam vicinam compertum habemus. Quia vero Athenienses victi ex agro Spartoli, cui Olynthii auxilio venerant, Potidaeam se receperunt, Spartolus Olynthum inter et Potidaeam quaerenda mihi videtur [14]).

Jam intelligimus, cujus causa Spartolus Bottiaeae eosdem, quos Olynthus Chalcidices, in pecunia sua exhibuerit typos, nimirum quia Spartolus Olyntho vicina erat et confoederata; atque Geographia numaria, urbe *Aspledone* Boeotiae orbata, altera, *Spartolo* Bottiaeae, augetur.

---

14) Cel. Mannertus Spartolum, nescio qua ex ratione, ad septentrionem, supra Olynthum, sitam fuisse censet. *Geogr. d. Griechen u. Römer, Tom. VII. pag.* 442.

EION CHALCIDICES.

Olynthi et Spartoli numismata, de quibus modo actum est, ansam mihi dant ad alium numum, iisdem typis consignatum Chalcidicis, explicandum, quem perdoctus Cadalveneus [1]) primus cum erudito orbe communicavit, et hunc in modum descripsit:

H. Equus dimidius ad sin. saliens.
Aquila sursum volans rostro serpentem stringit, intra quadratum incusum. *Tab. I. fig.* 17. . . . . AR. 2.

Cl. Cadalveneus, literam *H* partis adversae silentio praeteriens, hunc perrarum numulum, partim quia simul cum tribus aliis effodiebatur numis Olynthiis, partim propter equum salientem et aquilam Chalcidicam, *Olyntho* adjudicavit; sed literam *H*, quae tamen monetae patriam indicare debet, ad hanc Chalcidices urbem principem non spectare, nemo non videt; Olynthum insuper non unicam fuisse urbem, quae typos Chalcidicos in pecunia sua signaverit, Spartoli numulus, supra descriptus, nos docuit. Quare alia quaeri debet urbs Chalcidica, cui numulus, literam *H* exhibens, adtribuatur.

Ejusmodi urbs, nomen a litera *H* auspicans, si veteres consulimus Geographos, non nisi *Eïon Chalcidices*, *Mendaeorum colonia*, esse potest.

Ceterum me non fugit, adhuc sub judice esse litem de origine et situ Eïonis; quare erunt, qui me tanta fiducia Eïonem, Mendaeo-

---

1) Cadalvene, *Receuil de méd. grecq. inéd. pag.* 72 *no.* 2. *Tab. I. fig.* 29.

rum coloniam, in Chalcidice sitam, profiteri, non absque causa mirentur; nam alii nonnisi unam, alii duas hujus nominis urbes extitisse affirmant, et quibus posterior sententia adridet, in diversas tamen de earum origine et situ distrahuntur opiniones. Quare, ut omne dubium removeatur, inprimis inquirere necesse est, num una, an duae Eïones extiterint?

Berkelius et Holstenius[2]) fusius probare student, unam tantum in Macedonia hujus nominis extitisse urbem, nimirum Eïonem, ad Strymonis ostium sitam; et Mannerto[3]), viro in veteri Geographia laudatissimo et peritissimo, adeo persuasum erat, hanc Eïonem Strymoniam Mendaeorum fuisse coloniam, ut ad probandam hanc sententiam Herodotum (*Lib. VIII. cap.* 118) et Thucydidem (*Lib. IV. cap.* 7) citare non haesitaret, quamvis loci citati pro Eïone Strymonia, ceu Mendaeorum colonia, nil probent.

Ne vero horum Eruditorum sententias refutando tempus teramus, litis hujus arbitrum in medium adducimus virum fide dignissimum.

Thucydides, qui per autopsiam hunc Macedoniae tractum penitus cognovit, *geminas* extitisse *Eïonas* testatur. Ipse memorat *Ἠιόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι*, *Eïonem ad Strymonem*[4]), quam Athenienses maritimi emporii loco, in fluvii ostio siti, tenebant, quinque et viginti stadia distantis ab urbe Amphipoli[5]), (*ἣν αὐτοὶ (Ἀθηναῖοι) εἶχον ἐμπόριον ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ ἐπιθαλάσσιον, πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους ἀπέχον ἀπὸ τῆς νῦν πόλεως, ἣν Ἀμφίπολιν Ἄγνων ὠνόμασεν.*)

---

2) Notae ad Steph. Byz. *s. v. ΗΙΩΝ.*

3) Mannert, *Geograghie der Griechen und Römer*, *Tom. VII.* pag. 29.

4) Thucyd. *Lib. I. cap.* 98. *Lib. IV. cap.* 50 *et* 107.

5) Thucyd. *Lib. IV. cap.* 102 *seqq.*

Idem alio loco [6]) memorat *Ἠιόνα τὴν ἐπὶ Θράκης, Μενδαίων ἀποικίαν, Eïonem, quae est in Thracia, Mendaeorum coloniam.*

Ambas autem Eïonas, nimirum *Ἠιόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι* et *Ἠιόνα τὴν ἐπὶ Θράκης* urbes esse diversas, sequentia docent.

Eïon, ad Strymonem fluvium sita, Cimone duce, in Atheniensium redigebatur potestatem. „Primum igitur, Thucydides inquit [7]), Athenienses Eïonem, quae ad Strymonem est sita, quam Medi tenebant, obsidione expugnarunt, et incolas, urbe direpta, in servitutem abduxerunt, duce Cimone, Miltiadis filio". — Athenienses eandem urbem septimo adhuc et octavo belli Peloponnesiaci anno tenebant; nam Aristides, Archippi filius, unus e ducibus Atticae classis, ad socios pecuniae cogendae causa missae, Artaphernen, virum Persam, qui a Persarum rege missus Lacedaemonem proficiscebatur, in urbe Eïone, quae ad Strymonem est sita, (*ἐν Ἠιόνι τῇ ἐπὶ Στρυμόνι*) cepit [8]); atque cum paullo post Brasidas, Spartanorum dux, nocte favente, per dolum partim, partim per proditionem Amphipolin occupasset, Thucydides, ex Thaso vicina in auxilium vocatus, Eïonem Strymoniam Atheniensibus servare festinavit [9]).

Eïon autem, *Mendaeorum colonia, ἡ ἐπὶ Θράκης*, quo anno Eïon, *ἡ ἐπὶ Στρυμόνι*, Atheniensibus erat amica, nominatur Atheniensium hostis; Thucydides enim tradit [10]): „Per idem tempus (nimi-

---

6) Thucyd. *Lib. IV. cap.* 7.

7) Thucyd. *Lib. I. cap.* 98.
Pausan. *Lib. VIII. cap.* 8.

8) Thucyd. *Lib. IV. cap.* 50.

9) Thucyd. *Lib. IV. cap.* 104 *seqq.*

10) Thucyd. *Lib. IV. cap.* 7.

rum septimo anno belli Peloponnensiaci) Simonides, Atheniensium dux, coacta paucorum Atheniensium, qui in praesidiis erant, et magna sociorum, illic habitantium, manu, Eïonem, *τὴν ἐπὶ Θράκης*, Mendaeorum coloniam, sed Atheniensibus inimicam (*πολεμίαν δὲ οὖσαν*), per proditionem occupavit".

Thucydides igitur, testis omni fide dignus, praeter *Eïonem, ad Strymonem* fluvium sitam, aliam adhuc memorat urbem ejusdem nominis, *Mendaeorum coloniam*, et ipse hanc nominat Atheniensium hostem, illam autem (et eodem quidem tempore) Atheniensibus amicam. Ex qua ratione Thucydides, quotiescunque alterutram nominat Eïonem, (ut Eïon, Mendaeorum colonia distinguatur ab Eïone Strymonia,) utitur additamento, aut „*ἡ ἐπὶ Στρυμόνι*" aut „*ἡ ἐπὶ Θράκης*"; quemadmodum nempe Scholiastes [11]) adnotat, *ὅτι δυὸ Ἠιόνες εἰσὶν ἐν τῇ Θράκῃ.* — Atque haec sufficiant de quaestione, utrum geminae extiterint Eïones, necne; jam de earum *situ* disserendum esse puto.

Situs *Eïonis Strymoniae* a Thucydide in loco, supra citato, satis perspicue descriptus est, nimirum Eïon, in Strymonis fluvii ostio sita, quinque et viginti stadia ab urbe Amphipoli distabat. Plus autem negotii facesset disquisitio, ubi altera urbs *Eïon*, *Mendaeorum colonia*, sita fuerit.

Stephanus Byzantinus habet [12]): *Ἠιὼν πόλις ἐν Χερρονήσῳ, ὡς Θουκυδίδης· τὸ ἐθνικὸν, Ἠιονεύς. Ἔστι καὶ ἄλλη πρὸς τῇ Πιερίᾳ· τὸ ἐθνικὸν ταύτης Ἠιονίτης. Eïon, urbs in Chersoneso, de qua Thucydides; gentile, Eïonensis. Est quoque alia juxta Pieriam; hujus gentile est Eïonita.* Stephanus igitur Byzantinus, qui, sicuti Thucydides, geminas distinguit Eïonas, alterutram in Cher-

---

11) Schol. Thucyd. *Lib. I. cap.* 98.

(12 Steph. Byz. *s. v. ΗΙΩΝ.*

soneso sitam affirmat, et hujus rei testem adducit Thucydidem; *'Ηϊών*, inquit, *πόλις ἐν Χερρονήσῳ, ὡς Θουκυδίδης*. Thucydides Eïonem, ut vidimus, memorat Strymoniam, et Eïonem, Mendaeorum coloniam. Eïon autem Strymonia cum in Chersoneso quaeri non possit, secundum Stephanum Eïon, Mendaeorum colonia, hac in peninsula sita erat. Verum enim vero haec Stephani sententia omni caret auctoritate; nam ne inquiramus, num in Chersoneso revera urbs hujus nominis extiterit, id certum habemus, omnibus in locis, in quibus de Eïone verba facit Thucydides, nullam de Chersoneso Thraciae fieri mentionem. Quare Stephanus tradens: „*'Ηϊών πόλις ἐν Χερρονήσῳ, ὡς Θουκυδίδης*", erravit. De altera autem Eïone, teste Stephano Byzantino juxta Pieriam sita, mox sermo redibit.

Eustathius in commentario ad Iliad. B. scribit: *Τὰς δὲ 'Ηϊόνας οὐχ' εὕρομεν πάνυ περιλαλουμένας· ἐνικῶς δὲ 'Ηϊὼν λέγεται πόλις Χερρονησία παρὰ Θουκυδίδῃ· ἔστι δὲ καὶ Στρυμονική· λέγεται δὲ καὶ ἑτέρα 'Ηϊὼν Πιερική*. Eustathius igitur tres distinguit Eïonas, unam in Chersoneso, alteram ad Strymonem, tertiam in Pieria sitam. Inde facile aliquis induci potest, ut cum celeberrimo Raoul-Rochette [13]) Eïonem, Mendaeorum coloniam, in Pieria quaerendam esse censeat; sed si Thucydidem consulimus, certiores reddimur, *Eïonem, Mendaeorum coloniam*, in *Chalcidice* fuisse sitam; nam cum Simonides hanc Eïonem, Mendaeorum coloniam, obsideret, Chalcidenses et Bottiaei, confestim (*παραχρῆμα*) opem ferentes, eum inde expulerunt et multos Athenienses occiderunt [14]), (*καὶ παραχρῆμα ἐπιβοηθησάντων Χαλκιδέων καὶ Βοττιαίων, ἐξεκρούσθη τε, καὶ ἀπέβαλε πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν*), quod Chalcidenses facere non potuissent, si Eïon, a Simonide obsessa, in Pieria sita fuisset; nam ut

---

13) Raoul-Rochette, *Hist. de colon. grecq.*

14) Thucyd. *Lib. IV. cap. 7.*

in Pieriam venirent, Chalcidenses et Bottiaei loca, ab Atheniensibus, ipsorum hostibus, obsessa, nominatim Strymonem fluvium et Eïonem Strymoniam, aut pervadere aut praeterire debuissent. Huc accedit, Thucydidem, quotiescunque de Eïone, Mendaeorum colonia, verba faciat, semper addere: *ἡ ἐπὶ Θράκης*. Quibus verbis non tantum Eïonem, Mendaeorum coloniam, ab altera Eïone Strymonia distinguit, sed etiam ejus situm in Chalcidice significat; nam Thucydides, quotiescunque Chalcidenses memorat, eodem utitur additamento: *οἱ ἐπὶ Θράκης*.

Ex quibus, pro mea quidem opinione, Eïonem, Mendaeorum coloniam, *τὴν ἐπὶ Θράκης*, cui Chalcidenses, *οἱ ἐπὶ Θράκης*, confestim opem tulerunt, in ipsa Chalcidice sitam fuisse, compertum habemus; nostrum denique numisma, literam *H* et typum *Chalcidicum* exhibens, vix ullam de Eïonis in Chalcidice situ relinquit dubium.

Sed forte sunt, qui dicant: Eïonem, in Pieria vel juxta Pieriam sitam, memorari tam apud Stephanum Byzantinum, quam apud Eustathium. Num igitur tria extiterunt in Macedonia ejusdem nominis oppida? Eïon ad Strymonem fluvium, Eïon in Chalcidice et Eïon juxta Pieriam sita? Ne unus quidem e geographis sive antiquioribus sive recentioribus tres Eïonas inter urbes numerat Macedonicas [15]).

Huic objectioni nullo fere respondemus negotio. Quod attinet ad Eustathium, ejus testimonium omnino suspectum est habendum; nam ipse, fontibus neglectis, solam Stephani Byzantini secutus est

---

15) Praeter Eionem Chalcidicam et Strymoniam tertiam adhuc ejusdem nominis urbem in *Argolide* extitisse testes sunt Homerus (*Iliad. II. v.* 561) et Strabo (*Lib. VIII. pag.* 376. *Tom. III. pag.* 250 *Tzsch.*):

Οἰδ' Ἄργος τ' εἶχον, Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,
Τροιζῆν', ΗΙΟΝΑΣ τέ —

sed hoc loco solummodo de *Macedonia* quaestio est.

auctoritatem. Stephanum autem errasse, cum Thucydidem pro Eïone, in Chersoneso sita, testem adduxisset, jam audivimus. Eustathius vero, non consulto Thucydide, Stephanum ad verbum exscripsit, tradens: *Ἠϊὼν πόλις Χερρονησία παρὰ Θουκυδίδῃ.* Stephanus porro habet: *ἔστι καὶ ἄλλη ΠΡΟΣ ΤΗΙ ΠΙΕΡΙΑΙ, juxta Pieriam.* Eustathius hoc in loco, Stephani premens vestigia, ne solita quidem descriptoris usus est accuratione, referens: *λέγεται δὲ καὶ ἑτέρα Ἠϊὼν ΠΙΕΡΙΚΗ, Pierica* sive *in Pieria sita;* nam inter voces „*in Pieria*“ et „*juxta Pieriam*“ plurimum interesse, nemo non videt.

Quare Eïonem *in Pieria* sitam omnino silentio praeterire possumus. Reliquum est quaerere, quaenam sit Eïon *juxta Pieriam*, *πρὸς τῇ Πιερίᾳ*, sita?

Me quidem judice Eïon juxta Pieriam sita eadem est ac Eïon Strymonia; nam Strymon fluvius Macedoniam Bisalticam et Pieriam novam disjungit; quare Eïon Strymonia recte juxta Pieriam sita nominari potest.

Geminae igitur in Macedonia extiterunt Eïones, quarum una, *ἡ ἐπὶ Θράκης*, in *Chalcidice*, altera, *ἡ ἐπὶ Στρυμόνι* (secundum Thucydidem) sive *ἡ πρὸς τῇ Πιερίᾳ* (secundum Stephanum Byzantinum), ad *Strymonis* ostium sita erat. Stephanus, cum duas distingueret Eïonas, unam in Chersoneso Thraciae, alteram juxta Pieriam sitam, absque dubio „*πόλις ἐν Χερρονήσῳ*“ loco scribere voluit, sicut Thucydides, quem testem adfert, „*πόλις ἐπὶ Θράκης*“.

In qua autem Chalcidices regione Eïon, *ἡ ἐπὶ Θράκης*, Mendaeorum colonia, sita fuerit, certo quidem non constat; sed si numuli nostri typum examinamus et metallum et pondus et stylum picturae, facile ad opinionem deducimur, Eïonem ab Olyntho et Spartolo non longe fuisse remotam. Eam urbem fuisse maritimam, nomen ipsum

indicat; nam Eïone, teste Hesiodo[16]), appellabatur Nerei filia, Oceanidum una, atque ipsa vox ἠϊών litus significat.

De significatione typi, nimirum equi et aquilae, rostro serpentem stringentis, idem valet, quod alibi de Olynthi et Spartoli pecunia dictum est.

TRIERES.

1. Pegasus volans ad sinistram, in area ♀.
   TP
   HI Caput Medusae adversum, lingua exserta, omnia intra quadratum incusum. *Tab. I. fig.* 18 . . AR. 1.

2. Caput juvenile laureatum, tonsis capillis, ad sinistram.
   I Я
   HT Quinque lauri folia intra quadrum et quadratum incusum. *Tab. I. fig.* 19 . . . . . AR. 1.

3. Caput laureatum, ut supra.
   PI
   TH Quinque lauri folia, ut supra. *Tab. I. fig.* 20 . . AR. 1.

4. Caput laureatum, ut supra.
   TP
   H ⊢ Quinque lauri folia, ut supra. *Tab. I. fig.* 21 . . AR. 1.

5. Caput laureatum, ut supra.
   TP
   HI Quinque lauri folia, ut supra. *Tab. I. fig.* 22 . . AR. 1.

---

16) Hesiod. *Theogon. vers.* 250.

Multum sudaverunt eruditi Antiquarii in horum numulorum patria definienda; quo factum est, ut variae ponerentur urbes.

Sestinius primus monetam, hinc faciem adversam, inde pegasum praeferentem, cuidam Argolidis vel Achaiae urbi adscribendam censebat; quum vero epigraphe haud satis esset conspicua, inter ERINEVM, portum Achaicum, et ERMIONEM, urbem a Foroneo conditam, dubius haesit [1]).

Mionnetus in simili moneta, minus conservata, legens *ΠPIH* loco *TPIH*, tales numulos PRIENIS Joniae adscripsit [2]).

Cousinéryus, cum non nisi literas *IP* videret, eandem monetam propter pegasum CORINTHO adtribuere non dubitavit [3]).

Cadalveneus, bene legens *TPIH*, hujus numuli patriam inter colonias Corinthiacas numerandam esse suspicatur; sed quia oppidum a Corinthiis conditum, cujus nomen literis *TPIH* inchoat, apud veteres scriptores non invenitur, ipse dictum numulum inter CORINTHIACOS ponit [4]).

Has sententias omnes, quae aut falsa lectione innituntur, aut verae epigraphes explicationem silentio praetereunt, longe a veritate recedere, nemo non intelligit.

Numulos, hinc caput juvenile laureatum, inde quinque lauri folia praeferentes Sestinius TYRISSAE, urbi Macedoniae mediterraneae, adsignavit, in parte aversa legens TYRI; sed varias Sestinii de-

---

1) Sestini, *Lett. numism. Tom. IX. pag.* 110. *Tab. V. fig.* 22.

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 187 *no.* 889.

3) Cousinéry, *Essai sur les monnaies de la ligue Achéenne, pag.* 122. *Tab. I. fig.* 13.

4) Cadalvene, *Receuil de méd. grecq. inéd. pag.* 175 *no.* 1. *Tab. II. fig.* 25.

scriptiones comparaturus facile sibi persuadebit, perdoctum antiquarium in describendis hisce monetis debitam non adhibuisse solertiam; nam cum primo numulum, secundo loco citatum, ex Museo Regis Bavariae describeret [5]) legit $\frac{IR}{TT}$; postea cum alio loco descriptionem ejusdem numuli repeteret [6]), scripsit $\frac{IR}{T\mathcal{T}}$; in figura autem tabulae aeneae, quam addit [7]); exhibet $\frac{IR}{L\mathcal{L}}$. Quae omnia cum in una eademque moneta legi non possint, unusquisque facile fidem mihi habebit affirmanti, in moneta ipsa epigraphen TYRI non adesse. Sestinius literam *H*, cujus pes anterior in exemplari controverso haud satis luculenter apparet, nempe ⊣ sumsit pro litera $\mathcal{T}$, quo factum est, ut pro $\frac{IR}{HT}$ legeret $\frac{IR}{TT}$.

Tyrissa igitur Macedoniae, a Sestinio propter numulos, modo citatos, in rempublicam numariam recepta, iterum ex urbium monetariarum catalogo deleatur necesse est.

Allierus de Hauteroche numulum, quem sub numero 3. descripsimus, TERIAE Troadis adsignandum putavit [8]); sed recte eruditissimus Dumersan adnotat [9]): „La médaille convient par sa forme,

---

5) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. IV. pag.* 59.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 173 *no.* 1123.
Sestini, *Classes general. Edit. secund. pag.* 38.

6) Sestini, *Descr. di piu Musei, Tom. I. pag.* 52.

7) Sestini, *loc. cit. Tab. VII. fig.* 15.

8) Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier. de Hauteroche, pag.* 79. *Tab. XIII. fig.* 18.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 582 *no.* 515 *et* 516.

9) Dumersan, *loc. cit. pag.* 80.

son travail et son type à cette contrée ou à son voisinage; mais il faudroit adopter le bouleversement des lettres, et commencer la légende par la seconde ligne, ce qui est peu en usage, quoique non sans exemple". Quae lectio (*THPI*) multo magis in dubium vocari debet, si numulos, sub no. 4 et 5 descriptos, comparaverimus, nempe $\frac{TP}{HI}$ inscriptos; nam scripturae genus, *κονιηδὸν* vel *taepocon* dictum, apud Sinenses quidem et in insula Taprobane [10]) usitatum, in pecunia graeca vix invenitur. Huc accedit, alterum numulum, pegaso et littera ♀ consignatum, et eandem exhibentem epigraphen $\frac{TP}{HI}$, in Troadem revocari non posse. Sestinius denique fabricam horum numorum ad Macedoniam spectare, recte admonuit. Quare *Teria* quoque Troadis e Geographia numaria delenda venit.

Si vero nostri numuli neque *Erineum*, neque *Ermionem*, neque *Prienen*, neque *Corinthum*, neque *Tyrissam*, neque *Teriam* habent urbem genitricem, ubinam gentium eorum patria quaerenda erit?

Ipsorum fabricam esse Macedonicam audivimus; Cadalveneus insuper adserit, numulum suum, hinc capite Medusae, inde pegaso consignatum, in Macedonia esse effossum; numuli denique, quorum partem aversam lauri ramus implet, quatenus artificii, ponderis, metalli totiusque operis structurae habetur ratio, numulis argenteis Amphipolitanis [11]) egregie respondent; quin Sestinius, nescio ex quo

---

10) *Γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες ὀρθόν.* Diod. Sicul. *Lib. II. cap.* 57 *pag.* 169 *ed. Wess.*

11) Mionnet, *Descr. de méd. greeq. Suppl. Tom. III. pag.* 18.

Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier de Hauteroche, pag.* 30. *Tab. IV. fig.* 15.

Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. IV. pag.* 56. *Tab. I. fig.* 13.

Museo, nomismation vulgavit Amphipolitanum, a nostris non multum diversum, nempe [12]):

Caput Apollinis laureatum ad sin.
AMΦI Lauri ramus intra quadrum . . . . . AR. 1.

Quapropter de Macedonia non tantum dubitari non potest, sed verisimiliter quoque numulorum nostrorum urbs genitrix prope Amphipolin est quaerenda. Major tamen labor est in eruenda ejus tractus urbe, ubi hi numuli malleum subierint.

Picturae stilus et omnes numorum notae si Macedoniam profitentur, inscriptio *βουστρόφηδον* legi debet, sicut in aliis Macedoniae monetis, e. g. $\frac{TP}{IA}$ vel $\frac{VI}{PT}$ vel $\frac{PA}{TI}$ vel $\frac{NE}{\Pi O}$ vel $\frac{AM}{I\Phi}$ vel $\frac{O\Lambda}{N\Upsilon}$ et alibi, id est, nostra epigraphe est *TPIH*. At cujus urbis nomen a literis *TPIH* inchoat?

A Plinio [13]) memoratur urbs *Trieris* sive *Trieres* (*Τριήρης*) Phoeniciae, quam Strabo [14]) ponit Tripolin inter et Theuprosopon (Dei faciem), Stephanus autem Byzantinus [15]) urbem nominat Syriae. Huic Syriae vel Phoeniciae oppido numuli nostri, quippe qui omnes pecuniae Macedonicae characteres prae se ferunt, adjudicari non possunt; quare alia urbs adfinis nominis quaeratur necesse est.

Stephanus Byzantinus praeter Trieretes Syriae alium adhuc ejus-

---

12) Sestini, *Descriptio numor. vet. pag.* 88 *no.* 5.

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 18 *no.* 119.

13) Plin. *Hist. nat. Lib., V. cap.* 20.

14) Strab. *Lib. XVI.*

15) Stephan. Byzant. *s. v. ΤΡΙΗΡΗΣ.*

dem nominis memorat populum, tradens [16]): *ΤΡΙΗΡΕΣ, ἔθνος ἀπὸ Τριήρου τοῦ Ὀμβριαρέω καὶ Θρᾴκης παιδὸς, ὡς Ἀρριανὸς ἐν Βιθυνιακοῖς, TRIERES, populus, a Triero, Ombriarei et Thraces filio, ut Arrianus in Bithyniacis.* Ubi hi Trieres habitaverint, non additur; sed id certum habemus, Stephanum eos a Trieretibus Syriae vel Phoeniciae distinguere. Quia vero hi Trieres a Triero, *Thraces* filio, nominabantur, quid impedit, quominus eorum domicilium in Thracia quaeratur, et ipsis numuli, *ΤΡΙΗ* inscripti, adtribuantur?

Objici quidem potest, Stephanum Byzantinum citare „*Arrianum in Bithyniacis*“ (*ὡς Ἀρριανὸς ἐν Βιθυνιακοῖς*), Trieres proin in Bithynia esse quaerendos [17]); at expressio „*ὡς Ἀρριανὸς ἐν Βιθυνιακοῖς*“ absque dubio ad Arriani libros referenda est, quibus titulus: *Βιθυνιακά*; nemo autem erit, qui affirmaverit, Trieres propterea, quod eorum nomen in libris de Bithynia inveniatur, inter Bithyniae populos esse numerandos; immo facile intelligimus, cujus causa Arrianus, de Bithynia verba faciens, Trierum et Thracen, ejus matrem, memoraverit, nimirum quia Bithynia ipsa a Bithyno, Jovis et *Thraces* filio, nomen accepit [18]).

Forsitan sunt, qui opponant, me ipsum horum numulorum fabricam nominasse *Macedonicam*; quorsum igitur Trieres *Thraciae?* num eadem numismata officinam modo Macedonicam, modo Thraciam olent? — Minime gentium; at non mediocri Macedoniae parti antiquitus Thraciae fuisse nomen, nemo est, qui nesciat, nominatim Amphipolis, (cujus pecuniae, ut supra adnotatum est, numuli nostri miro modo respondent,) utpote quae ad Strymonem fluvium sita

---

16) Stephan. Byzant. *s. v. ΤΡΙΗΡΕΣ.*

17) Bischoff u. Möller, *Vergleich. Geographie.*

18) Stephan. Byzant. *s. v. ΒΙΘΥΝΙΑ.*

erat [19]), ab ipsis veteribus scriptoribus nonnunquam Macedoniae Thraciaeque appellatur confinium [20]).

Artificium igitur humulorum nostrorum Macedoniam profitetur; typi vero, utpote numis Amphipolitanis consimiles, ejus admonent Macedoniae tractus, cui sinus Strymonius finitimus est; epigraphe denique nomen, a literis *TPIH* incipiens, luculenter manifestat. Quia vero ab antiquis scriptoribus nulla, quantum equidem sciam, memoratur urbs Macedonica, cujus nomen a literis *TPIH* orditur, nil superest, quam ut ad populum „Trieres", teste Arriano, a Triero, Thraces filio, descendentem, confugiamus, hunc autem populum in Macedoniam, quae olim Thracia dicebatur, transferamus.

In uno tamen haeret mihi scrupulus, an epigraphe et tota numorum ratio ad *populum* quendam spectet. Habemus quidem numismata Macedonica vel Thracia, quae populorum nomine inscripta censentur, e. g. *ΩΡΡΗΣΚΙΩΝ*, *ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ*, haec autem, tam quod ad epigraphen, quam quod ad artificium spectat, a reliquis differunt monetis, et procul dubio omnes Antiquarii numulos nostros urbi, nequaquam vero populo cuidam tribuendos esse judicabunt.

Quae cum ita sint, ea in regione, quam Trieres tenebant, ejusdem nominis urbem, quae numismata, *TPIH* inscripta, signaverit, extitisse suspicor. Nullibi quidem urbem Macedonicam, Trieris nomine, invenimus memoratam; sed graeci scriptores, qui vel tunc temporis, quo Alexandri Magni gloria famaque in remotissimas penetraverat terras, Macedonas in barbarorum numero habebant, tam imperfectam et tam obiter adumbratam hujus regionis nobis reliquerunt

---

19) *Ὁ Στρύμων ὁρίζει Μακεδονίαν καὶ Θράκην.* Scylax.

20) *Ἀμφίπολις πόλις Μακεδονίας κατὰ Θράκην.* Steph. Byz. — Plinius Amphipolin in Maeedonia ponit, cis Strymonem, Scylax autem in Thracia trans flumen.

imaginem, ut ob veterum scriptorum silentium urbem quondam hujus nominis extitisse, nullo modo negari possit. Exemplum praebet *Traelium* Macedoniae; licet enim omnes consulas antiquos geographos, historicos, poetas eorumque commentatores, nullibi tamen urbem hujus nominis invenies; sed nihilominus numismata, epigraphen *TPAIAION* praeferentia, eam extitisse, nobis persuadent. Neque mirum, si in eo, quem Strymon fluvius irrigat, Thraciae et Macedoniae tractu multae olim urbes floruerunt monetariae; Pangeus enim mons, Strymonem inter et Mestum fluvios situs, tantae erat antiquis temporibus ob fodinas auro et argento abundantes celebritatis, ut Athenienses et Lacedaemonii, satis magno intervallo ab eo disjuncti, non minus ac Macedones et Thraces et Thasii eidem vicini, horum metallorum possessionem cupidissime appetterent. Eadem regio insuper ob sinum Strymonium et Piericum commercio erat opportunissima. Ubi vero negotiorum frequentia, ibi urbes divitiis praepolentes; ubi auri et argenti fodinae, ibi aeris signati multitudo. Itaque perfrequenter et in Pieria nova et in Strymonis fluvii vicinia Macedonica, remotioris praesertim aevi, numismata effodiuntur.

Quare non tam absurdum esse videtur, numis ducibus, affirmare, urbem extitisse Trieren, cujus nomen a veteribus scriptoribus omnino quidem silentio praeteritur, in fabula autem, quam Arriani de Thrace et Triero fragmenta tradunt, non nisi obscure innuitur. Equidem epigraphen *TPIH* ad urbis potius, quem ad populi nomen spectare existimo.

Quod pertinet ad typos, in aliis habemus lauri ramum vel plantam, cujus figura quinque lauri foliorum similitudinem refert; in aliis faciem obversam lingua exserta et pegasum. Planta, quinque lauri foliis similis, cum mihi sit ignota, de ejusdem significatione tacere, quam inania proferre praestat. Quorsum autem pegasus et caput Medusae [21]) in pecunia Trieris?

---

21) Me non fugit, faciem obversam lingua exserta a nonnullis eruditis Antiquariis

Pegasus cum capite Medusae propterea conjungitur, quia ipse, e Medusae sanguine ortus, Medusaeus nominatur equus, testibus Hesiodo [22]) et Ovidio [23]), tradente:

Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata MEDVSAEI signa tenetis EQVI.

At quam ob causam Medusae caput in pecunia Trieris exhibetur? Si litera ϙ in area numismatis verisimile reddit, Trieren coloniam fuisse Corinthiacam, caput Medusae simul cum pegaso e pecunia Corinthiaca explicatum habemus; sed si quis est, cui haec minus probentur, suppetit mihi alia pro Medusa ratio, quam ex ipso nomine „Trieres" derivo. Trierus, a quo Trieres orti nomen sortiebantur, filius erat, ut supra audivimus, *Thraces* et *Ombriarei.* Quis est autem hic Ombriareus (*Ὀμβριαρεύς*)? Si alias, quae de Thrace circumferuntur, in subsidium vocamus fabulas, nempe *Jovem* ex ea

---

larvam nominari scenicam; nominatim Cadalveneus, ubi numulum nostrum describit, eam ad Bacchi cultum referendam esse censet. (Cadalvene, *Receuil de méd. grecq. inéd. pag.* 175 *no.* 1.) Hi eruditi viri Eckhelii auctoritatem sequuntur, qui, de pecunia Populoniae verba faciens, (*Numi veteres anecd. pag.* 12) affirmat: faciem obversam cum lingua exserta in numis Populoniae in Etruria, Camarinae in Sicilia, Neapolis in Macedonia, Abydi in Troade, aliarumque urbium non pro capite Medusae, sed pro larva scenica esse habendam. At rationes ab eruditissimo Eckhelio tam contra Medusam, quam pro larva scenica adductae, mihi quidem tanti non esse momenti videntur, ut cum Cadalveneo faciem obversam in nostro numulo larvam scenicam nominandam esse putem. Quia vero propositum hujus opusculi hanc materiam ea, qua par est, cura et subtilitate investigare non permittit; id unum adnotasse sufficiat, arctiorem et simpliciorem esse nexum Medusam inter et equum Medusaeum, quam inter pegasum et larvam scenicam.

22) Hesiod. *Theogon. v.* 276.

23) Ovid. *Fastor. Lib. V. vers.* 7.

genuisse Bithynum [24]), non absque verisimilitudine inde colligi potest, Ombriareum alium non esse nisi ipsum Jovem. Jupiter ceu *ὄμβρος χρύσεος*, *imber aureus*, id est ceu *Ὀμβριαρεύς* ex Danae genuit Perseum. Trierus igitur, eodem mirabili genitus modo ac Perseus, eundem cum Perseo habet patrem, nimirum Jovem pluvium. Si vero Medusa cum Perseo arctissime cohaeret, idem monstrum nocturnum recte cum Triero quoque, altero Perseo, conjungitur.

Quod si non fallit, typus ipse vice versa ostendit, numulos nostros, *TPIH* inscriptos, ad hos Trieres pertinere, qui a Triero, Thraces et Ombriarei filio, sunt oriundi.

---

24) Stephan. Byz. *s. v. BIΘTNIA.*

THESSALIA.

PHERAE.

Caput juvenile adversum, corona cannea tectum, in area piscis.

ΦΕΡΑΙΩΝ. Equus ad d. currens, cui mulier ex adverso insidet, ambabus manibus taedam tenens transversam; in area caput leonis, aquam vomentis. *Tab. II. fig.* 1 . . . . . AE. 5.

Pherae in Thessalia conditae a Phera, Aeoli filia, secundum Stephanum Byzantinum; a Pherete, Crethei filio, secundum Apollodorum [1]).

Piscis in area partis adversae, et corona cannea, quae caput juvenile circumdat, perspicue numen palustre vel fluviale indicant; quare corrigendae sunt descriptiones Mionneti, exhibentis [2]): „*Caput Apollinis laureatum adversum*“, Combei, scribentis [3]): „*Caput muliebre spicis ornatum adversum*“ et Eckhelii [4]), qui habet: „*Caput muliebre adversum laureatum*“. Campus Dotius, in quo Pherae sitae erant, adeo undis abundavit, ut Pherarum pecuniam nu-

---

1) Stephan. Byx. *s. v. ΦΕΡΑΙ.* Apollod. *I.*, 9, 14.

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 305 *no.* 252.

3) Combe, *Mus. Hunter. pag.* 234. *Tab. XLIII. fig.* 14.

4) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 147.

mine aquatili esse insignitam, vix dubitari possit. Habemus celeberrimam paludem *Boebeïdem*, de qua Homerus [5]):

Οἵ τε Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην;

quam vicina palus *Nessonis*, sin minus celebritate, certe magnitudine superat, teste Strabone tradente [6]): *Ὑπολείπεται δ' ὅμως ἥ τε Νεσσωνὶς λίμνη μεγάλη καὶ ἡ Βοιβηὶς ἐλάττων ἐκείνης*; in media autem Pherarum urbe fons *Hyperea* emanavit, Strabone referente [7]): *ἡ δ' Ὑπέρεια κρήνη ἐστὶν ἐν μέσῃ τῇ Φεραίων πόλει μεταλαιούσῃ*, et Pindaro [8]):

— ἐγγὺς μὲν Φέρης κράναν Ὑπερῖδα λιπών.

Quodnam harum aquarum numen in adversa numismatis parte exhibeatur, infra dicetur, cum aversae typum explicaverimus.

De muliere equestri et taedam tenente transversam eruditissimus Eckhelius adnotat [9]): „Mulierem face instructam quam aliam statuemus nisi Cererem, cujus propter causas notas propria fax? ac tum typus commonefacit ejus, quod narrat Pausanias; Neptunum nempe, Cereris amore insanientem, dum filiam amissam quaeritaret, vitium deae offerre meditatum. Quod illa amantis consilium cum persentisceret, in equam sese convertit. At deus marinus, fraude intellecta, ne mulieris artibus victus videretur, equum et ipse mentitus, imprudentem in retia traxit, ex quo consortio famigeratus natus est

---

5) Homer. *Iliad. Lib. II. vers.* 218.

6) Strabo, *Lib. IX. pag.* 430. *Tom. III. pag.* 576. *Tzsch.*

7) Strabo, *Lib. IX. pag.* 439. *Tom. III. pag.* 642. *Tzsch.*

8) Pindar. *Pyth. IV. vers.* 125.

9) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 147.

equus Arion. Idem alibi narrat, fuisse apud Phigalenses Arcadiae signum Cereris capite equino distinctum.“ Sic eruditissimus Eckhelius. Eandem opinionem Stieglitzius [10]), Creuzerus [11]) aliique viri perdocti sequuntur.

Eckhelius ad confirmandam sententiam suam addere potuisset, Cererem in vicino Pheris Dotio consecratum a Pelasgis lucum habuisse; Callimachus enim canit [12]):

Οὔπω τὰν Κνιδίαν, ἔτι Δώτιον ἰρὸν ἔναιον
Τὶν δ' αὐτᾷ καλὸν ἄλσος ἐποιήσαντο Πελασγοί·
Nondum Cnidiam, sed adhuc Dotium sacrum inhabitabant
Tibi illic (in Dotio) pulchrum lucum posuerunt Pelasgi:

sed nihilominus Eckhelii explicatio ingeniosior, quam felicior mihi videtur. Pausanias Cererem nigram vel Phigalensem describit [13]) ceu figuram muliebrem, saxo insidentem, capite equino, reliquo corpore ad imos pedes tunica velato, altera manu delphinum, columbam altera praeferentem. Si vero mulier taedifera et equo insidens in Pherarum pecunia, ex Eckhelii sententia, Cererem nigram repraesentat, artifex non tantum a simulacro Phigalensi, sed etiam a Pausaniae narratione longe recessit, cum Cererem neque mulierem sedentem cum capite equino, neque equam, sed deam equestrem fingeret. Tum, qua ratione fabula haec, quam in Arcadia contigisse tradit Pausanias, cum

---

10) Stieglitz, *Archaeol. Unterhaltg. Tom. II. pag.* 186. Stieglitzius numos quoque Panormitanos, hinc caput equi exhibentes, ad fabulam Arcadicam referendos esse censet; sed horum numorum Punicorum argumentum nitide illustratur loco Virgilii: „*Effodere caput acris equi*“. Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. I. pag.* 229.

11) Creuzer, *Symbolik. Tom. IV. pag.* 76 *not.* 127.

12) Callimach, *Hymn. in Cerer. vers.* 24.

13) Pausan., *Arcad. cap.* 42, 3.

Pheris Thessaliae connectatur, Eckhelius ipse, se ignorare, confitetur; eundem denique typum numisma Antonini pii, commatis romani, exhibet; quorsum autem fabula Phigalensis in aere romano? Quare Eckhelius ipse mulierem equestrem et taediferam in hoc Antonini numismate non Cererem, sed Dianam nominat [14]), et recte quidem; nam mulieris caput lunula ornatum est [15]).

Quae cum ita sint, cum cel. Rascheo [16]) in nostro Pherarum numismate non Cererem, sed Dianam exhiberi censeo.

Eckhelius potissimum ob facem figuram controversam Cererem nominare videtur: „quam statuemus, inquit, nisi *Cererem, cujus propria fax?*“ Facem autem non tantum Cereris, sed etiam Dianae esse propriam, cur probemus, plane non est. Dianam vero apud Pheraeos peculiarem habuisse cultum, plura nos docent testimonia. Sic Diana a Callimacho salutatur Pheraea, canente [17]):

Ποτνία Μουνιχίη λιμενόσκοπε χαῖρε ΦΕΡΑΙΗ.

quin eadem dea apud alios quoque colebatur populos; Pausanias enim tradit [18]): „a Sicyone ad gymnasium adeuntibus ad dextram *Φεραίας ἱερὸν Ἀρτέμιδος* „*Pheraerae Dianae aedes*“ se offert. Deae ligneum signum Pheris huc deportatum tradunt“: et alio loco [19]) idem

---

14) Eckhel, *Doct. num. vet. Tom. VIII. pag.* 35.

15) Millin. *Gallerie mythol. Tab. XXXIV. fig.* 118.

Buonarotti, *Medaglie ant. III.* 1.

16) Rasche, *Lexicon rei numar. Tom. II. Part. I. pag.* 720.

17) Callimach. *Hymn. in Dian. vers.* 259.

18) Pausan. *Lib. II. cap.* 10, 6.

19) Pausan. *Lib. II. cap.* 23, 5.

habet: „Pheraeae Dianae (Pheraeam enim Argivi quoque colunt) tam apud Sicyonios, quam apud Athenienses signum est, quod hi ad se Pheris, quae civitas est in Thessalia, deportatum dicunt".

At quid sibi vult Diana equestris, et quidem Diana Pheraea equestris?

Ejusmodi typus insolitus quidem esse videtur; si vero Dianam pro vario cultu vario repraesentatam habemus modo, e. g. in pecunia Amphipolitana tauro vectam, in nonnullis Ephesi numis cervo insidentem, in bigis denique taurorum, cervorum et equorum; eam in Pherarum moneta equo insidere, eo minus miremur oportet, cum Diana in aliis quoque numis equestris fingatur; e. g. in numismate Antonini pii, supra citato; in moneta quadam Trajani, commatis romani [20]); in numis, quos Magnesia in Jonia Caracallae [21]) et Maximi [22]) imperatorum nominibus dicavit.

Sed qua ex ratione Diana nonnunquam equestris fingebatur, et praeprimis Diana Pheraea?

Diana nonnunquam fingebatur equestris, propterea quod ipsa numen erat

1. marinum,
2. palustre et
3. fluviatile.

1. Diana est numen *marinum;* nam a Callimacho salutatur

---

20) Mediobarba, *Imper. roman. num. pag.* 149 *lin.* 30.

21) Sestini, *Piu Musei, Tom. II. pag.* 180. *Addend. Tab. IV. fig.* 15.

22) Vaillant, *Numism. graec., Maximus.*

Munychia [23]) et portuum inspectrix [24]); a Jove sexaginta rogat tripudii socias Oceaninas [25]); ipsa nominatur *ἐλλοφόνος*, partim quia hinnulas, partim quia pisces capit [26]), et caprae (*αἶγες*) ei adtribuuntur non tantum, quia venatrix montes percurrit, sed etiam quia *αἶγες* et fluctus maris nominantur [27]). In pecunia Leucadis, urbis maritimae, in cujus parte postica navis exhibetur, Diana fingitur stolata, imminente capiti lunula, dextra tenens acrostolium [28]), solitum Neptuni criterium; quin Diana Aeginea apud Spartanos commune cum Neptuno Hippocurio habuit templum [29]).

2. Diana variis in locis ut numen *palustre* adorabatur. In finibus Messeniorum, Calamam vicum inter et Thuriatarum urbem, Diana, cognomine *Λιμναία* vel *Λιμνᾶτις*, id est palustris, Messeniis et Lacedaemoniis commune habuit templum [30]). Eadem Diana Limnaea,

---

23) *Ποτνία ΜΟΤΝΙΧΙΗ λιμενόσποπε Χαῖρε Φεραίη.*
Callim. *Hymn. in Dian. v.* 259.

24) — — *καὶ μὲν ἀγυιαῖς*
Ἔσσῃ καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος.
Callim. *loc. citat. vers.* 39.

25) *Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας.*
Callim. *loc. citat. vers.* 13 *cf.* 40.

26) Hesych. *s. v.* *ΕΛΛΟΣ.*

27) Fabula, Embarum Dianae Munychiae pro infante *capram* sacrificasse, huc referenda mihi videtur.

28) C. Combe, *Mus. Hunter. Tab. XXXIII. fig.* 6.
Dumersan, *Descr. du Cab. de M. Allier. de Hauteroche, Tab. V. fig.* 21.
T. Combe, *Mus. Britann. Tab. V. fig.* 21.

29) Pausan. *Lib. III. cap.* 14, 2.

30) Pausan. *Lib. IV. cap.* 31, 2 *et* 4.

sub nomine Isorae, apud Teuthronem [31]) quoque colebatur, et Spartae apud Leschen et Pitanam fanum habuit [32]). In Arcadia prope paludem Stymphalicam aedes sacra pervetusta erat Dianae, cognomento Stymphaliae [33]), et apud Troezenios Diana, cognomine Saronis, templum habuit prope paludem Phoebeiam [34]). In Epidauriorum quoque finibus [35]) et Tegeae in Arcadia [36]) Diana palustris divino afficiebatur cultu.

3. Diana denique est numen *fluviatile;* de cujus adventu Caeratus fluvius laetabatur [37]). Ipsa enim sibi elegit pedissequas Amnisides viginti nymphas [38]), et nymphae Inopi fluvii eam circumdederunt [39]). Insuper ad Alphei ostia templum habuit, et a flumine ipsa *Ἀλφειαία, Ἀλφειονία, Ἀλφαιούση* nominabatur [40]). Haec Diana Alpheaea etiam in insula Ortygia, in portu Syracusarum sita, tem-

---

31) Pausan, *Lib. III. cap.* 23, 3 *conf. cap.* 12, 2.

32) Pausan, *Lib. III. cap.* 12, 2.

33) Pausan, *Lib. VIII. cap.* 22, 5.

34) Pausan, *Lib. II. cap.* 30, 7.

35) Pausan, *Lib. III. cap.* 23, 6.

36) Pausan, *Lib. VIII. cap.* 53, 3.

37) *Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα.*
Callim. *Hymn. in Dian. vers.* 44.

38) *Δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους Ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας.*
Callim. *loc. citat. vers.* 15.

39) *Ἠνίκα δ' αἱ νύμφαι σε Χόρῳ ἔνι κυκλώσονται*
Ἀγχόδι πηγαίων Αἰγυπτίου Ἰνωποῖο.
Callim. *loc. citat. vers.* 170.

40) Strab. *Lib. VIII. pag.* 343. *Tom. III. pag.* 69. *Tzsch.*
Pausan, *Lib. VI. cap.* 22, 5.

plum habuit [41]), et insula ipsa sedes Dianae fluvialis appellabatur [42]), quia Alpheus fluvius, secundum fabulam, ex Elide subter mare ad Siciliam deferebatur [43]). Ortygia dicebatur lucus quoque prope Ephesum, quem Cenchrius fluvius irrigat [44]); quare, sicuti Diana Leucophryne in pecunia Magnetica Maeandrum et Lethaeum [45]), ita et Diana Ephesia in numis Cenchrium et Caystrum fluvios [46]) pro pedibus habet decumbentes. In numismate Ephesiorum, in M. Aurelii honorem signato, fluvius ipse decumbens dextra elata Dianae Ephesiae tenet sigillum [47]). Diana igitur recte a Catullo [48]) salutatur „amnium domina", et ab Horatio [49]) „laeta fluviis".

---

41) Schol. *ad Pindar. Pyth. II.* 6.

42) *Ὀρτυγία ποταμίας ἴδος Ἀρτέμιδος.*
Pindar. *Pyth. II.* 7.

43) — Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur oris.
Virgil. *Aen. Lib. III. vers.* 694.

44) Strab. *Lib. XIV. pag.* 639. *Tom. V. pag.* 531. *Tzsc* .

45) Morelli, *Specim. univ. rei num. ant. Tab. X.*
Vaillant, *Numism. graec. imper. pag.* 82.
Eckhel. *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 522.
Sestini, *Numi vet. contin. pag.* 330 *n.* 40, *pag.* 332 *n.* 67.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 119 *no.* 428, *p.* 125 *n.* 469 *etc.*

46) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 529.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 148 *no.* 643.

47) Musei Theupoli, *numism. antiqua pag.* 902.

48) Catull. 34, 12.

49) Horat. *Carm. Lib. I.* 21, 5.

Diana vero, ceu amnium, paludum et maris domina, equo insidet. Equus Neptuno praesertim, qui eum e tellure procreavit, erat consecratus; unde deus marinus Graecis dicebatur *ἵππιος* et *ἱπποκούριος* [50]), Romanis Consus [51]). Si vero Diana, quemadmodum Neptunus [52]), salutatur *λιμενόσκοπος*; si ipsa vel communem cum Neptuno *ἱππουρίῳ* habuit cultum; eandem nonnunquam fingi equestrem, non amplius miremur oportet. Quin Juno et Minerva idcirco, quia Elide simul cum Neptuno equestri adorabantur, deae equestres (*ἱππίαι*) appellabantur [53]).

Diana insuper ceu *Λιμναία καὶ ποταμία* „*paludum et fluviorum domina*“, equos nutrit et stimulat; apud Pheneatos [54]) enim, in campo, aqua stagnante olim inundato, Diana, cognomine *Εὐρίππα*, (sic cognominabatur ab inventis equabus, quas Ulysses perdiderat) templum et Neptunus equestris simulacrum habuit [55]). Dein si Diana, ut supra adnotavimus, in Magnesiae pecunia fingitur stans Maeandrum inter et Lethaeum fluvios decumbentes; eadem in aliis, quos Magnesia in Caracallae et Maximi honorem signavit, numis reprae-

---

50) Conf. Pausan. *Lib. VII. cap.* 21, 3. „Pamphus, vetustissimorum apud Athenienses hymnorum auctor, Neptunum appellat *equorum* ac turritarum velatarumque *navium* largitorem, his verbis: *Ἵππων τε δωτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων.*

51) Dionys. Halicarn. *Antiqq. Rom. Lib. II. cap.* 32.

52) Huc Neptunus, d. gubernaculum tenens, s. alterum, qui in pecunia exhibetur Corinthiaca, referri debet; dua enim gubernacula ad duplicem Corinthi *portum* spectant.

53) Pausan. *Lib. V. cap.* 15, 4.

54) Confer caput Dianae Heurippae et equum in Pheneatarum numis.

55) Pausan. *Lib. VIII. cap.* 14, 4.

sentatur in citato equo [56]), nimirum quia ipsa est *ἱπποσσόα* „*equorum agitatrix*“ quae, lota in Amniso fluvio, aureum conscendit currum [57]). Quin equae non nisi Diana fluviali adjuvante domitantur, teste Pindaro canente [58]):

> (*Ὀρτυγία*) *ποταμίας ἔδος Ἀρτέμιδος, ἃς οὐκ ἄτερ*
> *κείνας ἀγαναῖσιν ἐν χερσὶ ποικιλανίους ἐδάμασσε πώλους.*

Ex his Dianam equo nonnunquam insidere propterea, quod ipsa amnium, paludum et maris erat domina, compertum habemus.

Quod jam specialiter ad Dianam adtinet Pheraeam, hanc quoque numen esse aquatile, dubitari non potest; nam Callimachus, loco saepius citato, Dianam Pheraeam simul cum Munychia nominat et portuum inspectrice,

> *ποτνία Μουνυχίη λιμενόσκοπε χαῖρε Φεραίη*,

in area insuper numismatis nostri [59]), prope mulierem taediferam et equo insidentem, caput leonis conspicitur aquam vomentis.

---

56) Sestini, *Piu Musei*, *Tom. II. pag.* 180.
Vaillant, *Numism. graec. imper.*

57) *Ἠὲ καὶ Ἀμνισοῖο λοισσαμένη ποταμοῖο*
Χρυσείοις Ληταῖς ἐφ' ἅρμασιν ἱστηνία.
Apollon, *Argon. III.* 877.

58) Pindar. *Pyth. II.* 7.

59) Idem leo *κρηνοφύλαξ* in Hunteriana quoque moneta, quamvis paullulum detrita, dignosci potest. (*Mus. Hunter. Tab. XXXIV. fig.* 14.) Alii quoque numi Pheraei idem caput leonis, aquam vomentis, exhibent, e. g.

Tête de lion tirant la langue, dessous A.
ΦΕΡΑΙΩΝ. Femme assise sur un cheval, tenant dans chaque main un flambeau, dessous massue et A. (*Mionnet, Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 306 *n.* 253.)

Reliquum est quaerere, quaenam aqua ad Dianam Pheraeam spectet?

Cum Pherae neque ad mare, neque prope fluvium, memoratu dignum, essent sitae; palus Boebeis, in antiquis fabulis frequenter memorata, huc referenda mihi videtur. Quod ut magis in aperto sit, ea, quae de Diana Saronide traduntur, contemplari juvat.

Neptunum et Minervam de Troezeniorum territorio disceptasse, et Troezenios hanc ob causam caput Palladis et tridentem in pecunia sua signasse, constat. Apud eosdem, teste Pausania [60]), Diana, cognomine Saronis, templum habuit ad paludem Phoebaeam (*λίμνην Φοιβαίαν*), id est, *ἐπὶ θαλάσσῃ τελματώδει καὶ ἐπιπολῆς μᾶλλον, ὥστε καὶ Φοιβαία λίμνη διὰ τοῦτο ἐκαλεῖτο, ad mare palustre, et praecipue in locis vadosis, quam ob rem Phoebaea palus appellabatur.* Stagnum igitur, quod mare recedens reliquerat, *λίμνη Φοιβαία* appellabatur.

Quod unumquemque *λίμνης Βοιβηΐδος*, ad quam Pherae sitae erant, commonefaciet; campus enim Dotius, teste Strabone [61]), antiquitus, cum et montibus undique includeretur, et loca orae maritimae editiora essent campestribus, stagno tectus erat. Postea cum terrae motus hiatum fecisset, (Neptunus autem est *ὁ ἐννοσιχθών*), abrupta Ossa ab Olympo, Peneus per eundem hiatum in mare se evolvens, siccandam planitiem praebuit; Nessonis vero et Boebeis paludes restabant.

ΦΕΡΑ. Cheval courant, le frein traînant, au dessus une fontaine sortant d'une tête de lion.

ΑΑΡ. Bacchus (?) nu, retenant par les cornes un taureau furieux. (*Cadalvene, Receuil de méd. inéd. pag.* 129.)

60) Pausan, *Lib. II. cap.* 30, 7.

61) Strab. *Lib. IX. pag.* 430. *Tom. III. pag.* 576. *Tzsch.*

Quas narrationes si inter se comparamus, analogia paludem Boebeïdem inter et paludem Phoebaeam non agnosci non potest; nimirum apud Troezenios praeter Neptunum regem (*βασιλέα* [62]), *Diana* colebatur ad paludem *Phoebaeam*, id est, ad stagnum, quod mare recedens reliquerat; apud Pheraeos autem praeter Neptunum *πέτραιον* [63]) *Diana* adorabatur ad paludem *Boebeïdem*, id est, ad stagnum, quod Peneus, in mare se evolvens, reliquerat. Quin paludum nomina eadem mihi videntur; in Macedonica enim dialecto aspiratio frequenter omittitur, e. g. in *κεβαλὴ* pro *κεφαλή*, *Βρύγες*, *Βιλιππος*, *Βερενίκη*, *βαλακρός*, etc; simili igitur modo *λίμνη Βοιβηΐς*, sive *Βοιβίας* sive *Βοιβαία*, nam vox quoque *Βοιβαία* erat in usu [64]), idem significat ac *λίμνη Φοιβαία*. Diana ergo Pheraea, ad paludem Boebeidem (*λίμνην Βοιβαίαν*) culta, eadem est ac Diana Saronis, quae ad paludem Phoebaeam (*λίμνην Φοιβαίαν*) templum habuit.

Diana igitur Pheraea, quam ceu numen aquatile cognovimus, paludis Boebeïdis est domina; quare, me quidem judice, Brimo quoque, ad paludem Boebeidem culta [65]), eadem est ac Diana Pheraea,

---

62) *Ποσειδῶνα βασιλέα ἐπίκλησιν.* Pausan. *Lib. II. cap.* 30, 6.

63) Pindar. *Pyth. IV.* 138.
Sic cum Thessaliam scopulis inclusa teneret
Peneo stagnante palus, et mersa negarent
Arva coli, trifida Neptunus cuspide montes
Impulit adversos; tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossaeus Olympo.
Claud. *de rapt. Proserp. II.*

64) Stephan. Byz. *s. v. BOIBH. Τὸ ἐθνικὸν τῆς Βοίβης Βοιβεὺς καὶ Βοιβηΐς θηλυκόν, εἰ δὲ καὶ Βοιβαιος, οὐ κωλύει.*

65) Mercurio et sanctis fertur *Boebeidis* undis
Virgineum *Brimo* composuisse femur.
Propert. *II.* 2.

cujus simulacrum et cultus ad Athenienses, Sicyonios et Argivos deferebatur [66]). Quia vero Brimos notiones arctissime cum Hecate et Proserpina cohaerent [67]), taedam quoque transversam, quam Diana Pheraea ambabus manibus tenet, explicatam habemus.

Haec ad mulierem equestrem et taediferam. Quodsi vero pars postica numismatis nostri ad paludem spectat Boebeïdem, ad quam Pherae erant sitae, caput juvenile corona cannea circumdatum in parte antica Hypereidem significare fontem, in media Pherarum urbe emanantem, vix dubitari potest.

---

66) Lobeck, *Aglaopham. pag.* 1213. Confer ea, quae infra de Diana equestri in Patrarum Achaiae pecunia dicentur.

67) Lobeck, *Aglaopham. loc. cit.*

Creuzer, *Symbol. u. Mythol. Tom. II. pag.* 123 *et* 327.

Spanhem. *ad Callim. hymn. in Dian. vers.* 259.

ATTICA.

PAGAE.

Commodus.

. . . . . .

ATT. KAI. MAP. KOMOΔOC. ANTω. Caput Commodi laureatum ad. d., cum paludamento et thorace ad pectus.

ΠΑΓЄωN. Diana habitu succincto et singulis manibus taedam tenens accensam super basi ad d. graditur in templo distylo; hinc et inde arbor. *Tab. II. fig.* 2 . .

. . . . . AE. 6.

Hoc numisma, quamvis jam vulgatum, ut iterum describatur et delineatum prae oculis ponatur, dignum mihi visum est idcirco quia partis posticae explicationem aliorum Antiquariorum opinionibus contrariam statuendam esse existimavi.

Froelichius [1]), Neumannus [2]), Pellerinius [3]), Eckhe-

---

1) Fröhlich, *IV. Tentam. pag.* 243.

2) Neumann, *Numi vet. ined. Tom. I. pag.* 224. *Tab. VII. fig.* 4.

3) Pellerin, *Receuil de méd. Tom. III. pag.* 253. *Tab. CXXXVI. fig.* 3.

lius [4]) atque Creuzerus [5]) figuram succinctam nominant *Cererem*, Sestinius [6]) et Mionnetus [7]) eandem esse Dianam *venatricem* affirmant.

Rationes, quibus horum Eruditorum sententiae innituntur, inquirere, non abs re esse arbitror.

Froelichius primus in numo, nostro non absimili, quem *Pagaei* in S. Severi honorem signaverunt, *Cererem* exhiberi affirmavit. Numisma, a Froelichio citatum, in parte postica hunc habet typum:

ΠΑΓΑΙωΝ. Mulier succincta utraque manu facem contollens, super saxo ad d. graditur; eandem praecedit aries . . . . . AE. 6.

„De aversae partis figura, inquit Froelichius, e Pausania habeo, quae adferam; nam is refert, in descensu ex urbe *Megara* ad navale, occurrere templum Cereris Oviferae (*ἱερον Δήμητρός ἐστιν Μαλοφόρου*). Ejus compellationis originem ita attingit: „„Inter alia, quae de nominis hujus impositione narrantur, ferunt: qui primi in Megaride terra oves pascebant, Cererem *Μαλοφόρον* compellasse"". In nostro porro numo hanc Cererem referri, tum aries praecedens, cum similis Cereris effigies in numo *ΜΕΓΑΡΕΩΝ* conficiunt". Ita Froelichius de numo *Pagensi.*

---

4) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 225.

5) Creuzer, *Symbolik nnd Mythol. Tom. IV. pag.* 310.

6) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in piu Musei, Tom. I. pag.* 79 *n.* 2. *Tab. XI. fig.* 3.

Sestini, *Descr. del Mus. Fontan. Tom. I. pag.* 47. *nro.* 4.

7) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 591 *nro.* 390.

Neumannus eandem Cererem *Μαλοφόρον* in numismate recognovit *Magarensi*, quod descripsit his verbis:

Apollinis laureatum caput.
ΜΕΓΑΡΕΩΝ. Mulier succincta et cothurnis induta properat, singulis manibus taedam gerens . . . . . AE. 5.

„Aversa pars, inquit, indubitato Cererem sistit, singulis manibus luculentas ferentem taedas; erat enim Cereris cultus Megarensibus Atticis et antiquissimus et religiosissimus, quod liquet Pausaniae testimoniis, qui Megaridis in rebus locuples est. „„A Jovis luco, tradit, cum in arcem ascenderis, Cereris nobile templum est, Megaron vocant, quod aedificasse Cara, dum regnaret, memorant““. At locus multo praestantissimus, qui subsequitur: „„Ad navale autem, quod mea etiam aetate Nisaeam vocant, si descendas, Cereris Oviferae templum videas. Cognomen vero deae praeter alia multa, quae ea de re prodita sunt, ab iis inditum censent, qui primi oves in ea regione aluerunt““. Atque hujus quidem Oviferae, seu Laniferae Cereris imaginem praesens numus certo certius repraesentat; id quod aperte conficio *Pegarum* numo quodam rarissimo. Erant Pegae, seu dorice Pagae, Megaridis oppidum, a Megarensibus conditum Pausania teste, adeoque iisdem, ut fieri amat, devotum numinibus. Ejus numus omnino singularis a Froelichio promulgatus est. Una parte Septimii Severi protome: altera Ceres succincta et taedifera praecedente ariete, circumscriptio *ΠΑΓΑΙΩΝ.* Haec moneta ut postremis Pausaniae verbis mirifice illustratur, Oviferamque Cererem evidenter proponit ab ariete proditam: ita nullum dubio locum relinquit, quin pariter in aere *ΜΕΓΑΡΕΩΝ* eadem dea adsit; nam eodem prorsus gestu habituque et ab his, et ab illis efficta cernitur. Nec turbat, arietem Megarenses amovisse monetarios. Non omnia omnibus numis inserta deorum dearumque symbola et attributa“.

Froelichius igitur figuram succinctam et taediferam, quam

numisma prae se fert *Pagense*, Cererem *Μαλοφόρον* nominandam esse censet idcirco, quia eadem figura in *Megarensi* quoque exhibetur moneta; Neumannus autem vice versa eandem figuram, pecuniae *Megarensi* inscriptam, pro Cerere Lanifera habendam esse existimat ex hac potissimum causa, quia eadem dea in aere conspicitur *Pagensi;* rationes vero, quibus eorum sententia innititur, sunt:

1. Deam, in aere Pagensi repraesentatam, aries antecedit;
2. Megarae templum erat Cereris, ab ovibus cognominatae *Μαλοφόρου*;
3. Pagae a Megarensibus erant conditae.

Equidem horum duumvirorum sententiam, quae Pellerinii, Eckhelii atque Creuzeri assensum accepisse videtur, subscribere non possum; nam figuram controversam esse *Dianam*, vix ac ne vix quidem dubito. Causae et momenta, cur ita judicem, sequentia sunt.

1. Quod adtinet ad *arietem*, quem Neumannus et Froelichius Cereri adtributum contendunt, illum Cereris Megarensis, cognomine *Μαλοφόρου*, fuisse comitem, eo lubentius concedo, quod oves apud Megarenses lanae praestantia adeo excelluisse notum sit, ut Diogenes, conspectis eorum gregibus, dixisse feratur, malle se Megarensium hircum, quam filium esse; at vero animal, mulierem taediferam antecedens, quod Froelichius arietem nominare non dubitat, caprae quidem, non vero arietis figuram prae se ferre, qui lineamenta, in tabula Froelichiana exhibita [8]), attentius examinaverit, facile sibi persuadebit. Quemadmodum vero capras *Cereri* fuisse adtributas, neque e veteribus scriptoribus, neque ex monumentis antiquis, quod equidem sciam, colligi potest; ita easdem *Dianae* fuisse

---

8) Froelich, *IV. Tentam. pag.* 243.

sacras, supra, ubi de muliere equestri in Pherarum pecunia, sive de Diana Pheraea verba fecimus, extra dubitationis aleam positum est.

2. Tum, etsi concesserimus, ex lineamentis, justo forsitan minutioribus vel temporis injuria paullulum detritis, non satis dilucide posse dignosci, utrum bestia, deam praecedens, pro capra, an pro ariete sit habenda; quod ad typum ipsum primarium adtinet, qui certe non minus ac animal accessorium in examen vocari debet, equidem, mulierem gradientem et utraque manu taedam gerentem esse Cererem, mihi persuadere non possum; nam quamvis taedae luculentae Cereri aeque ac Dianae competant, capilli tamen in nodum revincti, cothurni succinctaque vestis non Cererem, at vero Dianam diserte profitentur.

Neumannus ipse hanc difficultatem sensisse videtur; nam „seduxerint, inquit, cothurni succinctaque vestis, quibus alias Diana gaudet, quo expeditior ad insequendum feras esset; tametsi habitus ille non minus Cereri competit, quae raptam a Plutone filiam Proserpinam per montes, per agrosque saltusque perquirebat tam indefesse, ut

Illam non rutilis veniens Aurora capillis
Cessantem vidit, nec Hesperus“.

Ita Neumannus; at perdoctus antiquarius, quae suam ipsius refutarent objectionem, argumenta non adtulit; nam celeritas, quam poetae Cereri filiam suam perquirenti adtribuunt, nullum praebet argumentum, eandem ab artificibus quoque antiquis ceu succinctam et cothurnis indutam fuisse repraesentatam. Ceres, Proserpinam perquirens, frequenter quidem in antiquis repraesentatur monumentis, nominatim in numis Athenarum, Cyzici in Mysia, Nicaeae in Bithynia, et in denariis familiae Vibiae et Volteiae; sed in his eadem constanter, ut matrona et mater, haud raro ipso capite velato, longis in-

duta conspicitur vestibus; nunquam, quod equidem sciam, exhibetur succincta et capillis ornata in nodum revinctis. Dein, etsi concesserimus, Cererem, filiam suam perquirentem, nonnunquam repraesentari succinctam; quid tum? Neumannus mulierem taediferam in aere Pagensi et Megarensi exhibitam esse Cererem *Μαλοφόρον* sive Oviferam, non vero Cererem, quae Proserpinam quaerit, probare studuit. Diana vero, ut neminem fugit, cum habitu succincto fingi solebat; hinc Ovidius habet:

Nuda genu vestem ritu succincta Dianae,

et Callimachus:

Ἐς γονὺ μέχρι χιτῶνα ζώννυσθαι λεγνωτόν.

Capilli denique, in vertice in nodum revincti, vix Cereri, certo autem Dianae competunt, *κόρυμβος* enim virginibus tantum erat usitatus, sicut *κρωβύλος* [9]) illis tantum diis, quibus „inconsumta juventus virgineumque caput".

Vestis igitur succincta, cothurnus (*Κρητικὰ πέδιλα*) et capilli in nodum revincti (*κόρυμβος*), in numis controversis tam Pagensibus quam Megarensibus, Dianae quidem, non vero Cereri competunt. Quam Cererem inter et Dianam distinctionem, ex vestitu desumtam, Megarenses artifices et semper observabant; nam in numis, quos Megara imperatorum romanorum nominibus dicavit [10]), mulier exhibetur velata, vestimento ad imos usque pedes defluente, utraque manu taedas tenens, quarum unam in face praegrandi, ante eam stante, ac-

---

9) Winkelmann, *Werke*, *Tom. VII. pag.* 129 conf. *Gesch. der Kunst*, *Tom. II. p.* 83 et *pag.* 298.

10) Vid. Musei Theupoli *antiq. numism. pag.* 903 cum capite M. Aurelii. Similia cum capitibus L. Veri, S. Severi, Caracallae et Getae in Museo Regis Bavariae adservantur.

cendit. Quam figuram taediferam si cum nostra taedifera conferimus, hanc succinctam et cothurno corymboque exstructam esse Dianam, illam autem velatam et longo indutam vestimento esse Cererem, nemo erit, qui dubitaverit.

Haec de ariete et de figura taedifera; at vero Neumanni sententia tertio adhuc innititur argumento, nimirum:

3. „Erant Pagae, inquit, Megaridis oppidum, a Megarensibus conditum, adeoque iisdem devotum numinibus; inde factum est, ut in pecunia tam Pagensi quam Megarensi eadem exhibeatur dea (Ceres Ovifera)".

Recte Neumannus Pagas a Megarensibus fuisse conditas et inde tam Pagaeos quam Megarenses eadem veneratos esse numina, in memoriam revocat; sed haec ipsa tam originis, quam cultus et monetarum aequalitas figuram taediferam in aere nostro non pro Cerere, sed pro Diana esse habendam, mihi persuadet; nam, Pausania teste [11]), Pagis signum erat aeneum Dianae, tam quoad magnitudinem, quam quoad figuram omnino par ei, quod Megarae erat. *Ἐν ταῖς Πηγαῖς*, inquit, *θέας ὑπολειπετο ἄξιον Ἀρτέμιδος Σωτείρας ἐπίκλησιν χαλκοῦν ἄγαλμα, μεγέθει τῷ παρὰ Μεγαρεῦσιν ἴσον, καὶ σχῆμα οὐδὲν διαφόρως ἔχον. Pagis Dianae, cognomento Sospitae, signum est aeneum, magnitudine ei par, quod Megarae est, neque ipsa figura dissimile.*

Si vero Pagae a Megarensibus erant conditae; si tam Pagis, quam Megarae magna Dianae religio; si in utraque *urbe* Dianae signum erat, tam magnitudine, quam figura unum par alteri; si in *pecunia* tam Pagensi, quam Megarensi figura exhibetur taedifera, una par alteri; si hujus figurae habitus et gestus non Cererem, at vero

11) Pausan., *Attic. cap.* 44, 7.

Dianam profitetur: nonne verisimillimum est atque rationi consentaneum, hanc figuram taediferam, pecuniae tam Pagensi quam Megarensi inscalptam, repraesentare Dianam, a Pausania memoratam? Nonne Apollinis quoque caput, quod in parte antica monetae, a Neumanno vulgatae, conspicitur, cum Dianae magis quam cum Cereris typo in parte postica consentit?

Ipsum cognomen *ΣΩΤΕΙΡΑ*, *Sospita*, quo Diana tam Pagensis, quam Megarensis salutabatur, figurae faces gestanti sive lumen praeferenti aptissimum. Pausanias enim tradit, Dianam hoc cognomen accepisse propterea, quod Persas, agrum Megaricum vastantes, tot circumdedisset *tenebris*, ut a via declinantes saxum pro hostibus sumerent [12]); qui vero tenebris circumdare, et lumen effundere potest, sicut Macrobius dicit de sole [13]): „ejus ista natura est, ut fulgentia obscuret, quae sunt in obscuro illuminet".

Sestinius, numisma nostrum ex Museo Regis Bavariae vulgans, figuram succinctam nominavit Dianam *venatricem*, hinc *arcum*, inde *telum* tenentem [14]); sed eandem hinc et inde *taedam* tenere accensam, non tantum numismata, a Froelichio et Neumanno [15]) vulgata, testantur, sed etiam nostrum, accuratius examinatum, indubium reddit.

Numismati igitur nostro neque Dianam venatricem, neque Cere-

---

12) Pausan. *loc. citat.*

13) Macrob. *Saturn. I.* 22.

14) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in piu Musei. Tom. I. pag.* 79 *n.* 2.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 561 *no.* 390.

15) Neumann, *Numi vet. ined. Tom. I. pag.* 225. habet: „Meus (numus) nulla parte vitiatus indubitato Cererem (?) sistit, singulis manibus luculentas ferentem taedas, quae oculo non satis attento, aut jam jam fugientes, facili lapsu venatoria arma videri poterant".

rem Oviferam, sed Dianam, cognomine Sospitam, quae tam Pagis, quam Megarae eundem habuit cultum idemque simulacrum, inscriptam esse existimo.

* * *

Cum cel. Creuzerus, qui in numis controversis *Cererem Μαλοφόρον* repraesentari non dubitat, in illustrando arietis significatu fabulae admoneat [16]), secundum quam Pan Arcadicus, arietis figuram mentitus, *Lunam* [17]) fefellisse dicitur; hic locus ad aliud numisma rarissimum, cujus typus nondum explicatus est, recensendum aptissimus mihi videtur.

Sestinius perrarum ex Museo L. Baronis de Chaudoir vulgavit numisma, a Patrensibus in M. Aurelii honorem signatum, quod his verbis describit:

> IM. CAE. M. AV. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum cum paludamento.
> COL. A. A. PATR. Mulier in equo gradienti utraque manu elata velum supra caput expansum tenens, accedit ad scopulum, cui insidet Pan juvenis, pede dextero inflexo, d. extenta, s. pedum tenens. *Tab. II. fig.* 3 . . AE. 6.

Editor de parte postica adnotat [18]): „E questo un nuovo typo nelle medaglie della Colonia Patrense, e siccome non ben si distin-

---

16) Creuzer, *Symbolik und Mythologie*, *Tom. IV. pag.* 310.

17) Creuzerus *(loc. cit. pag.* 81), quae de *Luna* fabulantur, de *Cerere* quoque posse intelligi affirmat.

18) Sestini, *Lettere numism. di contin. Tom. V. pag.* 14. *Tab. I. fig.* 13.
Idem, *Descr. d'alcune med. del Mus. Chaudoir. pag.* 59.

guono i soggetti, così non si può con certezza decidere, se la figura a cavallo sia quella di *Faustina* in atto di dirigersi verso la rupe, su cui stava sedente il Dio Pane, ovvero *Diana Laphria*, o *Venere*".

Sestinius recte quidem duas distinguit figuras, nimirum Pana sedentem et mulierem equestrem; sed ipse neque singularum figurarum significatum, neque earundem inter se nexum, qua opus fuit, solertia investigavit.

Pan, sicut in pecunia Arcadica, in hoc quoque numismate Pagensi scopulo insidet atque sinistra pedum tenet; quare in numismate nostro Pana exhiberi Arcadicum, mulieri equestri adnuentem, non sine gravi causa conjici potest.

Quod jam ad mulierem equestrem adtinet, Sestinius in dubio ponit, utrum illa *Faustina* imperatrix, an *Venus*, an *Diana Laphria* nominanda sit; at nulla harum sententiarum comprobanda mihi videtur; nam si *Faustinam* intelligimus, eandem non ceu mulierem, sed sub deae cujusdam figura cum Pane Arcadico esse compositam, nemo erit, qui negaverit. Quaeramus igitur necesse est, utrum Faustina sub Dianae Laphriae, an sub Veneris figura repraesentata sit. *Venus* vix unquam, rarissime certe apud veteres equestris fingebatur; Diana vero *Laphria* apud Patrenses peculiarem quidem habuit cultum, sed ejusdem figura, teste Pausania [19]), *venatricis* speciem prae se tulit [20]). Aliam igitur explicationem quaeramus oportet.

---

19) *Τὸ μὲν σχῆμα τοῦ ἀγάλματος θηρεύουσά ἐστιν.* Pausan. *Lib. VII. cap.* 18, 6.

20) Diana Laphria forsitan in numis conspicitur, quos colonia Patrensis Caracallae nomini dicavit, nimirum (Vaillant, *Numism. aer. imp. in coloniis et munic. percussa. P. II. p.* 40):

COL. A. A. PATR. Diana habitu succincto ad s. stans, d. extensa spiculum gerit, sin. arcui innixa, cum pharetra dorso imposita, pro pedibus canis venaticus sedet.

Dianam nonnunquam repraesentari equestrem, supra, ubi de Diana Pheraea tractatum est, audivimus; inde mulierem equestrem et in aere nostro Patrensi esse Dianam, sin affirmari, conjici tamen potest. Quae conjectura verisimillima redditur, si mentem ad Pana, cum muliere equestri compositum, convertimus; nam in fabulis, quae de Pane circumferuntur, non invenitur quod ad illustrandum numismatis nostri typum tam aptum esset, quam Panos relatio ad Dianam. Pan enim Arcadicus, arietis figuram mentitus, Dianam sive Lunam in silvam adlicitam, pristina forma recuperata, fefellisse dicitur; sicut Virgilius habet [21]):

> Munere sic niveo lanae, si credere dignum est,
> Pan, deus Arcadicus, captam te, Luna, fefellit,
> In nemora alta vocans, nec tu adspernata vocantem.

Si vero Pan, scopulo insidens et pedum tenens, nominari potest Pan Arcadicus, si idem in aere nostro exhibetur ceu mulieri equestri adnuens, si denique sub mulieris equestris figura Diana nonnunquam repraesentata invenitur; quid impedit, quominus in numismate nostro Pana Arcadicum Dianae sive Lunae adnuentem exhiberi censeamus?

Quod extra omnem fere dubitationis aleam ponitur, si in memoriam revocamus, Dianam Pheraeam fingi equestrem ex hac potissimum causa, quod ipsa paludum sit domina; nam apud Patrenses quoque Diana palustralis, cognomine Limnatis, cultum habuit et templum. „In adversa fori regione, inquit Pausanias [22]), *Ἀρτέμιδος ναὸς Λιμνάτιδος, fanum est Dianae Limnatidis.* Aiunt Preugenem ejus signum Spartanis surripuisse. — Ante Minervae templum Preugenis monumentum est, ad quod anniversaria fit parentatio, eo ipso tempore, quo Limnatidi solennia peraguntur sacra“.

---

21) Virgil. *Georg. III.* 391.

22) Pausan. *Lib. VII. cap.* 20, 4.

Pausania igitur et Virgilio ducibus, quam fabulam Creuzerus in numis Pagensibus et Megarensibus exhiberi censuit, eandem in hoc numismate Patrensi esse repraesentatam, recte concludi potest; nimirum Pan exhibetur Arcadicus Dianam in nemora alta vocans.

Quod si non fallit, confirmatur et id, quod supra in explicando Pherarum numismate diximus, nimirum, Dianam Pheraeam ad paludem *Boebeïdem* cultam esse eandem ac Brimo [23]); in qua enim Brimo ad Mercurium Ithyphallicum, in eadem relatione est Luna ad Pana Arcadicum [24]).

---

23) De Brimo ad paludem *Boebeidem* culta, Propertius habet:

Mercurio et sanctis fertur *Boebeidis* undis
Virgineum Brimo composuisse femur.

Conf. Lobeck, *Aglaoph. pag.* 1213.

24) De Panos Arcadici ad Lunam et de Mercurii Ithypallici ad Brimo relatione conf. Creuzer, *Symbolik und Mythol. Tom. III. pag.* 236.

ARGOLIS.

EPIDAVRVS.

Caput Apollinis laureatum ad d.

E. Aesculapius barbatus seminudus ad s. sedens dextram extendit super serpentem pro pedibus erectum, sinistra scipionem tenet; in sella literae *ΘE*; inter sellae fulcra canis decumbens [1]). *Tab. II. fig. 4* . . . . . AR. 5.

Longum foret, de Aesculapii apud Epidaurios ingenti religione disserere; quare tacere praestat, quam parum loqui. Id tantum commemoro, quod ad explicandum numismatis typum pertinet.

In parte antica caput laureatum Apollinis exhibetur, quia Aesculapius Apollinis nominatur et Coronidis filius.

Quod ad canem adtinet, inter sellae fulcra decumbentem, Pausanias narrat [2]), exposito a Phlegyae filia in Epidauriorum campo infanti capram lac praebuisse, dum interea *canis* puerum custodiebat; atque Plutarchus tradit [3]), Aesculapii templum a cane, cui nomen Capparis, vindicari.

---

1) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in piu Musei, Tom. I. pag.* 03. *Tab. XII. fig.* 16, hoc numisma describens, loco *E* in parte postica, minus accurate habet *EΠ* in monogramate.

2) Pausan. *Corinth. cap.* 26, 6.

3) Pausan. *De solertia animal.*

Ipsius Aesculapii figura, quam numisma nostrum prae se fert, simulacrum repraesentat a Thrasymede, Arignoti filio, ex auro et ebore elaboratum. Pausanias, celeberrimum Aesculapii Epidaurii templum describens, tradit [4]): *Τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἄγαλμα μεγέθει μὲν τοῦ Ἀθήνησιν Ὀλυμπίου Διὸς ἥμισυ ἀποδεῖ, πεποίηται δὲ ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ· μηνύει δὲ ἐπίγραμμα, τὸν εἰργασμένον εἶναι Θρασυμήδην Ἀριγνώτου Πάριον. Κάθηται δὲ ἐπὶ θρόνου βακτηρίαν κρατῶν, τὴν δὲ ἑτέραν τῶν χειρῶν ὑπὲρ κεφαλῆς ἔχει τοῦ δράκοντος, καὶ οἱ κύων παρακατακείμενος πεποίηται. Aesculapii simulacrum dimidio ferme minus est eo, quod Athenis est Jovis Olympii, aurum illud quidem et ebore perfectum est. Testatur inscriptio, opus esse Thrasymedis, Arignoti filii, Parii hominis. Sedet in solio scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente.* Quam descriptionem si cum monetae typo comparamus, in hac simulacrum Aesculapii a Thrasymede fictum exhiberi dubitari non potest; deus enim in nostro quoque numismate in solio sedens altera manu scipionem tenet, altera draconis caput premit, nec deest canis pro pedibus decumbens.

Utrum literae minutissimae *ΘE*, sellae inscriptae, monetae scalptorem indicent, an ad ipsum Thrasymedem, simulacri Epidaurii sculptorem, spectent (nimirum *Θ.ρασυμήδης Ε.ποίησε?*) alii decidant [5]).

---

4) Pausan. *Corinth. cap.* 27, 2.

5) Clarissimus Sestinius hunc numum rarissimum et optime conservatum ex Museo Regis Bavariae ut sincerum et genuinum vulgavit (*Descr. di molte med. esist. in piu Musei, Tom. I. pag.* 93). Talis viri, qui in discernendis numis falsis a probis nulli est secundus, auctoritate innixus, eundem iterum descripsi; at non possum non fateri, hunc numulum ex clandestina impostorum officina emersum mihi videri.

CRETA.

PHAESTVS.

ΦAIΣT (*retrograde et literis antiquis*) Mulier ad sin. sedens, dextera elata; ex adverso tauri adpropinquantis pars anterior.

Mercurius ad sin. sellae insidens, pedibus retro paullisper elatis, dextera caduceum oblongum tenet; in dorso petasus dependet. *Tab. II. fig.* 5 . . . . . AR. 6.

Hoc perrarum numisma, remotissimae, ut fabrica et inscriptio docent, antiquitatis characteres ostentans, in parte antica mulierem prae se fert, tauro adpropinquanti blandientem; quo in typo Jupiter in taurum transformatus atque Europa, tauri pulchritudinem admirans, non agnosci non potest.

Mercurius ex Jovis decreto gregem regium, in montibus pascentem, ad maris litora deduxit; inde cum Europa et Jove tauro Mercurius recte componitur.

Quod ad numismatis nostri urbem monetariam adtinet, de Phaesto dubitari non potest; nam sicuti typus non minus ac fabrica insulam Cretam profitetur, ita epigraphe nullum de urbe Phaesto dubio relinquit locum; literae enim *TMLAƎ* non nisi *ΦAIΣT* retrograde legi possunt.

Me non fugit, Eckhelium eandem epigraphen in numismate consimili, a Pellerinio vulgato, exhibitam, nimirum *NOAITMIAϑ*, pro magistratus cujusdam nomine sumsisse [1]); sed eruditissimum virum secunda litera fefellit, nam ipse legit in numo Pelleriniano *ЄAIMTI-AON* cum litera *Λ*, quamvis tabula Pelleriniana exhibeat *ЄAIMTIAON* cum litera *A* [2]). In voce vero *ЄAIMT* vel *ЄAIMTIAON* prima litera pro *E* formae lunaris sumi non potest, quia temporibus tam remotae antiquitatis, cujus notas tam nostrum quam Pellerinianum numisma prae se fert, lunaris literarum forma nondum usitata erat; literam autem *M* pro *Σ* nonnunquam adhiberi, numismata Sybaris, Posidoniae et alia docent; quare loco nominis peregrini *ΕΛIMTIAON* legendum est *ЄAIΣTIAON*, litera autem ϑ pro litera *Φ* sumi debet; et hoc modo habemus epigraphen *ΦAIΣTIAON* retrograde et literis antiquis scriptam.

Mirum profecto, quomodo cel. Sestinius numisma nostrum *Gortynae* adjudicare et his verbis describere potuit [3]):

> *ΓOPTΥNION retrograde.* Mulier ad sin. basi quadratae insidens, in consortio cum Jove sub forma tauri e longinquis adveniente.
>
> Jupiter nudus formae colossalis ad sin. in sella rustica cum dorsali sedens, d. baculum, sin. ad latus composita, pedibus retro paullisper elatis.

„E questo, addit Sestinius, un medaglione tutto nuovo, in

---

1) Eckhelii, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 317. „*ΣΕΛΧΑΝ*, inquit, et *ΕΛIMTIAON*, etsi vocabula peregrinae graecitatis, esse nomina magistratuum, mihi facile persuadeo".

2) Pellerin, *Receuil de méd. de peuples et de villes. Tom. III. Tab. CI. fig.* 62.

3) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in piu Musei, Tom. I. pag.* 97. *Tab. XIII. fig.* 8.

cui si osserva da una parte, che Giove comparisce sotto le sembianze d'un toro avanti Europa, assisa su d'una base, la quale lo arringa alzando la destra. Curioso poi è il Giove del rovescio, d'una figura colossale stando seduto su d'una seggiola rustica, che comparice unita con un quadrello di legno perforato e con un chiodo simile".

Haec Sestinii descriptio omnino falsa est. Quod ei videtur „un quadrello di legno perforato ed un chiodo simile" nil nisi signum est incusum; figura vero virilis sedens neque nuda est, neque barbata, neque colossea et pinguis, neque Jupiter, sed Mercurius, leviter vestitus, cum petaso et caduceo. Quod denique ad epigraphen *ΓΟΡΤΥΝΙΟΝ* adtinet, quam Sestinius in parte antica vidit, nulla fere hujus vocis litera in numismate ipso conspicitur; nam vera epigraphe est *ΦΑΙΣΤ* literis antiquis.

Habemus igitur typum, in aere Phaesti novum, nimirum Jovem taurum, Europam et Mercurium, atque novam formam literae Φ, nempe Θ.

MYRINA.

VM. Mulier seminuda trunco arboris insidens, sinistra demissa, dextra caput fulcit.
Taurus ad d. gradiens et retrospiciens. *Tab. II. fig.* 6 . .
. . . . . AR. 6.

Mulier seminuda trunco arboris insidens, sinistra demissa, dextra caput fulcit.
Taurus ad d. gradiens et retrospiciens. *Tab. II. fig.* 7 . .
. . . . . AR. 6.

Cel. Sestinius haec duo numismata ex Museo Regis Bavariae vulgavit simul cum tertio, quod in Museo Hedervariano advservatur; sed minus accurate. Ipse sic habet [1]):

Mulier moesta ad sin. capiti Minotauri insidens; superne *MINO*, et in cornu dextero Minotauri legitur *TAT-POS*, id est *MINOTATPOS*.

Taurus ad d. gradiens et retrospiciens.

„Tre sono, addit, gli esemplari che abbiamo osservato e descritto di sifatte medaglie inedite, e tutte con qualche differenza. La donna, o vergine, o Europa non siede su d'un platano ramoso, come hanno creduto molti, ma bensi nel messo della testa d'un toro scorticata, e circondata da frondi ramose d'un platano. In queste di sopra descritte per il nome che si legge di Minotauro, si deve credere, che ne sia la testa scorticata, comparendo in mezzo all' albero i due corni".

Ita clarissimus Sestinius; sed quamvis perdoctus Antiquarius tria exemplaria, tam caput Minotauri quam inscriptionem *MINOTATPOS* aperte prae se ferentia, prae oculis habuisse affirmat; tamen nonnulla contra ejus descriptionem et explicationem monenda mihi videntur.

Europa, inquit, non platano, sed deglupto Minotauri capiti insidet. Equidem ut ad hanc eruditi Antiquarii sententiam accedam, adduci non possum; nam ne quaeram, neque cur tauri vel Minotauri caput sit degluptum, neque qua ex causa virgo deglupto tauri capiti insideat, (repraesentatio enim tam singularis explicatione digna fuisset); talem in temporis ratione commutationem, qualem avia offert

---

1) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in pia Musei. Tom. I. pag.* 96. *Tab. XIII. fig.* 8.

nepotis cadaveri insidens, esse miram atque graecae artis ingenio alienam, nemo non videt, (nam Minotaurus Europae nominatur nepos).

Sestinius quidem ad confirmandam sententiam suam addit, in numorum parte antica legi superne *MTNO*, et in cornu dextero *TATPOS*, id est *MTNOTATPOS*; at haec inscriptio in duobus Musei Monacensis exemplaribus non invenitur. In altero numismate legitur quidem *MT*, in altero forsitan *POS*; sed etsiamsi has duas inscriptiones conjunxerimus, tamen, an literae *NOTAT* suppleri et *MTNOTATPOS* legi possit, valde dubito; nam non tantum spatium angustius est, quam ut quinque literae addi possint, sed etiam vox *MTNOTATPOΣ*, me quidem judice, semper cum litera *I*, *MIνοταυρος*, non vero cum litera *T*, *MTνοταυρος* scribitur.

Platanus denique, juxta fontem Lethaeum semper virescens, magnam ob Europam, quae ei insedit, in antiquitate habuit celebritatem; sic e. g. Theophrastus [2]) tradit: *Ἐν Κρήτῃ δὲ λέγεται ΠΛΑΤΑΝΟΝ τινα εἶναι ἐν τῇ Γορτυναίᾳ πρὸς πηγῇ τινι, μυθολογοῦσι δὲ, ὡς ἐπὶ ταύτῃ ἐμίγη τῇ Εὐρώπῃ ὁ Ζεύς*; et Plinius [3]) habet: „Est Gortynae in insula Creta juxta fontem PLATANVS una, insignis utriusque linguae monumentis. Jovem sub ea cum Europa concubuisse fabulant". Atque re vera in aliis numis, eundem quem nostrum prae se ferentibus typum, mulier multis circumdata est ramis et foliis.

Sicut igitur nulla adest ratio credendi, virginem, ramis circumdatam, capiti *taurino* insidere, ita non tantum veterum scriptorum testimonium, sed etiam ipse tam numismatum nostrorum, quam aeris Gortynii conspectus, in pecunia Cretica Europam exhiberi *platano* insidentem, nullum dubio relinquit locum.

---

2) Theophrast. *Hist. plant. Lib. I. cap.* 15.

3) Plinius, *Histor. nat. Lib. XII. cap.* 1.

Quod ad officinam monetariam adtinet, literae VM urbis nomen indicare videntur; nam nomina magistratuum in antiqua pecunia Cretica, inprimis urbis nomine neglecto, sunt rarissima. Quod si non fallit, quaeramus oportet 1) utrum epigraphe VM retrograde sit legenda, necne; 2) utrum M. habeatur pro litera μ, an pro litera Σ?

Lectionis retrogradae ipsa numorum vetustas admonet; nam in numis remotissimi aevi inscriptiones retrogradae sunt usitatissimae; praeterea in Museo D. Allieri de Hauteroche altera adservatur moneta Cretica, quae easdem literas a sinistra ad dexteram positas, exhibet, nimirum [4]):

MT. Caput tauri cum collo ad d.
Caput tauri cum collo ad d. *Tab. II. fig.* 8 . . . . AR. 4.

Quae epigraphe, a sinistra ad dexteram legenda, quia numisma modo descriptum recentionis est aevi quam nostrum, insuper probabile reddit, literam *M* non pro Σ, sed pro μ esse habendam, urbis igitur monetariae nomen a literis $\mu\upsilon$ incipere.

Cum vero nostrum numisma eandem, quam modo citatum, habeat epigraphen, hoc literas *MT* a sinistra ad dexteram, illud, quia remotioris aevi, retrograde a dextra ad sinistram legendas; cum utrumque fabricam Creticam aperte prae se ferat; cum vel typi, in hoc caput tauri, in illo taurus gradiens, nonnullam profiteantur adfinitatem: utrosque numos ex eadem prodivisse officina monetaria non sine gravi causa concludi potest. Itaque si unius, alterius quoque patriam cognitam habemus.

Jam quaeritur, quam ad urbem moneta, hinc et inde capite

---

4) Dumersan, *Descr. du Cab. de feu M. Allier de Hauteroche, pag.* 56.

tauri consignata, spectet? Mionnetus [5]), epigraphen *MT* silentio praeteriens, eam urbi *Phaesto* adjudicavit; rectius autem, me quidem judice, Allierus de Hauteroche atque Dumersan [6]) *Myrinam* proposuerunt; literas enim *MT* Myrinae magis quam Phaesto convenire, nemo erit, qui dubitaverit.

Eidem urbi nostrum quoque numisma, epigraphen *TM* exhibens, adtribuendum esse opinor. Certiora doceant ii, qui numisma consimile, in Museo Hedervariano adservatum, prae oculis habent.

---

5) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 330 *no.* 222.

6) Dumersan, *loc. cit.*

ASIA.

PONTUS.

NEOCAESAREA.

Tiberius.

TIBEPION (*ΣEBAΣTON*) Caput Tiberii nudum ad. d.
NEOKAICVPEIΣ (*sic*) Fulmen alatum. *Tab. II. fig.* 9.
. . . . . AE 3.

Clarissimus Sestinius, hunc numulum ex Museo Regis Bavariae vulgans, minus accurate legit in parte postica [1]) *KAIΣAPEΩN*; postea correxit [2]) *NEOKAIΣAPEΩN*; sed vera epigraphe est *NEOKAICV-PEIΣ*, ut cuique patebit, qui fidelissimam numismatis figuram conspexerit.

Numisma consimile in Museo Theupoli, nunc Caes. Vindobonensi, adservatur. Catalogus Musei Theupoli [3]) habet *NEΩKAIΣAPEIΣ*

---

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VII. pag.* 29.

2) Sestini, *Descr. di molte med. esist. in piu Musei, Tom. II. pag.* 14.

3) Musei Theupoli, *numism. antiqua pag.* 838.

(*sic*), Sestinius autem legit [4]) *NEOKAICAPEIC* (*sic*); forsitan vera epigraphe, sicut in nostro numulo, est *NEOKAICƎPEIΣ*.

Neocaesarea mediterranea, ad Lycum fluvium sita, urbs Ponti Polemiaci erat nobilissima. Typus explicatione non eget.

TRAPEZVS.

Elagabalus.

AT. K. M. AT. ANTONЄINOC (*sic*) Caput Elagabali laureatum cum paludamento ad d.

Epigraphe detrita. Deus Lunus eques ad d. ad aram accedit; hinc et inde juvenis stans, habitu succincto, chlamyde tectus et pileo Phrygio, hic cum taeda elata, ille taedam tenens inversam; pone arbor; in segmento serpens reptans et literae *ЄT . PNE* (155). *Tab. II. fig.* 10 . . . . . AE. 8.

Hoc perrarum numisma, quamvis jam a Sestinio cum orbe erudito communicatum, ut iterum describatur et delineatum pro oculis ponatur, dignum mihi visum est, partim quia Sestinius in eo describendo non satis accuratus fuit, partim quia typus partis posticae omnino novus, et ad cognitionem religionis, in Ponto domesticae, maximi est momenti.

---

4) Sestini, *Lettere numism. Tom. III. pag.* 5.
Vaillant, *Numism. imper. graec.*

Sestinius partem posticam his describit verbis [1]):

ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ (*literis extritis*). *Deus Mensis eques ad aram accedens, hinc vir paludatus stans sub arbore, inde vir alius chlamydatus ambabus facem tenet manibus; superne parvus genius, infra serpens reptans.*

Ita clarissimus Sestinius; sed perdoctum Antiquarium literae *ЄΤ. ΡΝЄ.*, quae in partis posticae segmento conspiciuntur et annum 155 significant, effugerunt. Non *unum solum* autem virum chlamydatum adstantem taedam tenere, sicut Sestinius habet, elatam; sed *ambos* juvenes adstantes, hunc taedam elatam, illum inversam, qui typum accuratius examinaverit, facile sibi persuadebit [2]).

Priusquam autem ad typi explicationem progredimur, numisma nostrum ad Trapezuntem pertinere, et juvenem equestrem esse Deum Lunum, probemus necesse est.

Numisma, de quo agitur, quamvis epigraphe adeo sit detrita, ut nulla, ex qua urbis monetariae nomen conjici possit, appareat litera, recte Trapezunti adjudicari, aliae probant monetae, Trapezuntis nomen profitentes et eodem consignatae typo, nempe:

1. *ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤωΝΙΝS* (*litt. fug.*) *ΙΟΥΛ. ΔΟΜ.* Caput Caracallae laureatum cum paludamento ad d.

   ΤΡΑΠЄΖΟΥΝ. Deus Lunus eques ad d. cum pileo Phrygio radiato in capite, chlamyde et anaxyride vestitus; in area hinc arbor, inde ara et s. [3]).

---

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VII. pag.* 36 *no.* 8. *Tab. I. fig.* 13.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 458 *nro.* 218.

2) Num praeterea in area numismatis parvus adsit genius, sicut Sestinius opinatur, haud liquide apparet.

3) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 458 *no.* 416.

2. *AT. K. M. ANTΩNЄ..* Caput Elagabali cum paludamento ad d.
TPAΠЄZOΥN . ЄT . PNE. Deus Lunus equestris cum pileo Phrygio in capite ad aram accedit [4]).

3. ... Caput Elagabali.
TPAΠЄZOΥNTIΩN . Є . PΞB. Lunus eques ad aram accedit [5]).

Quia vero in aliis numis, Trapezuntis nomen aperte prae se ferentibus, eadem ac in nostro numismate figura exhibetur equestris cum pileo Phrygio in capite ad aram accedens: nostrum quoque numisma, quia eundem exhibet typum, ex eadem prodivisse officina monetaria, eo minus dubitari potest, cum moneta, sub nro. 2. descripta, eandem, quam nostra, exhibeat epocham, nimirum *PNE* (155).

At quaeritur, an figura equestris recte nominetur Lunus? Lunum equo insidere, mirum non videbitur ei, qui Lunae equestris in pecunia Pheraea et Patrensi memor est; nam si Luna, procul dubio deus quoque Lunus equestris fingi potuit. Praeterea in aliis quoque numis indubium habemus Lunum equestrem, e. g.

---

4) Pellerin, *Receuil de méd. de peuples et de villes, Tom. III. pag. 204. Tab. CXXVIII. fig. 1.*

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 356 *no.* 139.

5) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VII. pag.* 35. *nro.* 7.

Catal. d'Ennery, *pag.* 545 *no.* 3544.

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 458 *no.* 217.

Juliopolis Bithyniae.

IOVLIA CEBASTH Caput Juliae Domnae.
IOVLIOПOLITΩN. Juvenis equestris cum pileo Phrygio in capite, ad cujus humeros luna falcata [6]).

Sillyum Pamphyliae.

AV. KAI. A. CEПT. OV. CEOVHPOC. ПЄ. Caput S. Severi laureatum cum paludamento.
CIALVЄΩN. Juvenis cum pileo Phrygio in capite, et luna falcata ad humeros [7]).

Sagalassus Pisidiae.

AV. K. M. AVP. KLAVDIOC. Caput Claudii cum paludamento ad d.
CAVALACCЄΩN. Juvenis cum pileo Phrygio in capite, ad cujus humeros luna falcata, equo insidens, cujus tergo laeva manu innititur, dextera pateram tenens [8]).

---

6) Fröhlich, 4. *Tentam. pag.* 250.
Eckhel. *Catal. num. vet. Mus. Caes. Tom. I. pag.* 145 *no.* 1.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 72 *no.* 366.

7) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 394 *nro.* 2. *Tab. IX. fig.* 7.
Avellino, *Giornale numism. Tom. I. pag.* 5. *Tab. I. fig.* 6.
Mich. a Wiczay, *Mus. Hedervar. Tom. I. pag.* 233 *nro.* 5282. *Tab. XXIII. fig.* 503.
Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VIII. pag.* 88 *nro.* 6 *et* 7.

8) Havercamp, *Mus. Regin. Christin. pag.* 271. *Tab. XXXIX. fig.* 23.

Laodicea Coelesyriae.

ΑΥΤ. Λ... CЄΟΥΗΡΟC. Caput S. Severi laur. cum paludamento.

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ ΠΡΟC ΛΙΒΑΝΩ. Juvenis cum pileo Phrygio in capite et luna falcata ad humeros equum capistro retinet 9).

Λ. CЄΠΤΙΜΙΟC CЄΒ... Caput S. Severi laureatum.

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ ΠΡΟC ΛΙΒΑΝΩ. ΜΗΝ. Idem typus, desuper lunula cum astro 10).

Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ... Caput Caracallae laur. cum paludamento.

ΛΑΟΔΙΚ. ΠΡΟC ΛΙΒΑΝω. ΜΗΝ. Idem typus 11).

Haec et alia numismata juvenem exhibent equestrem cum pileo Phrygio in capite et luna falcata ad humeros; luna autem falcata indicat, juvenem equestrem esse deum Lunum; et ne ullum de Luno relinquatur dubium, in Laodiceae numis additur epigraphe *MHN*. Hinc Froelichius, Pellerinius, Eckhelius, Mionnetus, Sestinius aliique similem equitem in pecunia Trapezuntica recte nominavere Lunum. — Quare autem ipse in nostro numismate lunam falcatam ad humeros non habeat, infra ostendetur.

Omnibus jam de numismatis patria et figurae equestris denominatione scrupulis sublatis, ad ipsam typi explicationem progredimur. Ut typi sensum intelligamus, inprimis ad *duos juvenes*, hinc et inde

---

9) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VI. pag.* 95 *nro.* 4 *et* 5.

10) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. III. pag.* 337.
Vaillant, *Numism. imper. graec. pag.* 83 *et* 296.

11) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. V. pag.* 307 *no.* 149.

stantes, Luno intermedio, qui, quantum equidem sciam, in nullo alio monumento, deum Lunum exhibente, hactenus inveniebantur, vultum mentemque convertamus necesse est. Quos cum a scalptore solius proportionis causa fictos, ac proin superfluos credere non possimus, (nam artifices in fingendis numorum typis ob loci angustiam necessaria potius omittere, quam superflua addere solebant), eos cum ipso Luno arcte conjunctos censeamus oportet.

Dicti genii, Luni comites, repraesentati sunt ceu juvenes succincti, induti pileo Phrygio (tiara), chlamyde et longis braccis (anaxyride vel sarabara), hic cum taeda inversa, ille taedam tenens elatam. *Eosdem genios*, sive eorum spectes positionem, sive vestimenta, sive adtributa, in monumentis exhiberi Mithriacis, neminem fugit; et sane eorum similitudo talis est, ut, si dei Luni figura in numismate nostro detrita et solummodo ambo genii conspicui essent, dei Luni loco figuram dei Mithrae supplendam esse, nemo dubitaret [12]).

Quae inter Mithrae et Luni comites aequalitas cum talis sit, haud nimius ero opinans, inter *Mithram* ipsum et deum *Lunum* arctiorem, quam hucusque cognoscebatur, esse relationem. Me quidem non latet, ex una parte sub judice adhuc litem esse de Mithrae significatione, ex altera autem parte, ut Luni ad Mithram ostendatur relatio, Mithram ipsum cognitum habeamus necesse esse: sed quamvis propositum praesentis opusculi hanc materiam, quanta est, investigare non permittat, nonnullae tamen Mithrae notiones satis clarae et perspicuae mihi videntur, ut ad probandam conjecturam meam sufficiant, nimirum: *Deum Lunum apud Trapezuntios esse eundem ac alibi deum Mithram.*

---

12) Quare eruditissimus Visconti us duas similes geniorum statuas ad Mithram referre non dubitavit. vid. Zoega, *Abhandl. pag.* 174 et Welkeri *not. in loc. cit.*

I. Mysteria Mithriaca ex Persia per Armeniam, Cappadociam, *Pontum*, Ciliciam et Asiam minorem Romam deferebantur [13]). Quare in his quoque provinciis nonnulla inveniri Mithriacae religionis et monumentorum Mithriacorum vestigia, non absque verisimilitudine colligi potest; nam mehercle! monetam Tarsi, a Vignola vulgatam, quae Mithram exhibet taurum mactantem [14]), unicum esse religionis, tam late in Asia vulgatae, relictum monumentum, ego quidem mihi persuadere non possum.

Quia vero Mithras apud Persas a pictoribus et sculptoribus verisimiliter non fingebatur [15]), ipsius *simulacrum* unacum ejusdem cultu variis in provinciis vulgari non potuit; itaque Mithram in omnibus provinciis, in quas ejus cultus deferebatur, unam eandemque habuisse figuram, exspectari non potest. Pari modo, quod ad ejus *cultum* adtinet, nemo sane erit, qui affirmaverit, quas Persae et eorum magi Mithrae supponebant notiones, easdem, quin quid additum vel demtum sit, ad reliquos delatas fuisse populos; nam si alias quascunque contemplamur doctrinas et fabulas, eas apud varias nationes pro varia situs, culturae et religionis domesticae indole varias subiisse mutationes, nemo non novit.

Hinc errant, qui monumenta *Romana* pro norma sumunt, cui omnia reliqua monumenta Mithriaca cujusvis regionis, tam quod spectat ad Mithrae *figuram*, quam quod ad ejus *notiones* pertinet, accomodata esse velint; nam, ne quaeramus, utrum Mithras apud

---

13) Plutarch, *vita Pompeji*, *cap.* 24.
Creuzer, *Symbolik und Mythologie*, *Tom. I. pag.* 759.

14) Vignola, *de columna Antonini pii*, *pag.* 176.

15) Ut omittam quaerere, utrum Persae, exceptis gemmis, deos finxerint, necne; huctenus certe nullum Persicum monumentum, Mithrae figuram prae se ferens, cognitum est.

Persas ipsos Sol fuerit [16]), an Romani tantum Solis notiones cum Mithra conjunxerint propterea quod tunc temporis Solis cultus Romae in summa esset auctoritate [17]): id certum habemus, in monumentis romanis non Mithram mere persicum [18]), sed numen persico-phrygio-graeco-romanum [19]) exhiberi. Quare recte eruditissimus Creuzerus Mithrae Persici notiones in Graecorum *Perseo* et Phrygum *Sabazio* recognovit [20]).

II. Sicut igitur Mithrae cultum in *Ponto* quoque nonnulla reliquisse monumenta, non absque verisimilitudine concludere licet; ita tantum abest, ut ex monumentis romanis conjici debeat, deum Mithram eandem habuisse figuram easdemque notiones in Ponto ac Romae, ut potius justae suspicioni pateat locus, Mithrae cultum in Ponto *ei numini* fuisse conjunctum, quod illius regionis incolae peculiariter colebant et non minori prosequebantur veneratione, quam

---

16) Anquetil, Wernsdorfius aliique Mithram apud Persas Solem fuisse affirmant; Eichhornus eum nominat Solis genium, Hammerus eum a Sole distinguendum esse censet.

17) Mysteria Mithriaca Romae ex Commodi temporibus ad Theodosium usque peculiariter florebant; tunc autem temporis Solis cultum Romae in summa fuisse auctoritate, numismata SOLI INVICTO, etc. inscripta, ipsum imperatoris Heliogabali nomen aliaque multa testimonia satis probant. „Tunc temporis, inquit Zoega (*Abhandl. pag.* 128) omnia numina, quorum cultus Romam deferebatur, pro symbolis Solis sumebantur".

18) Conf. Creuzer, *Symbolik und Mythol. Tom. I. pag.* 749.

19) Conf. Welker *in Zoega*, *Abhandl. pag.* 416.

20) Creuzer, *Symbol. Tom. I. pag.* 767, 776, 471, 754, 790 *et alibi.*

Pari modo Creuzerus *(loc. cit.)*, Lajardus *(Observ. sur le grand Basrelief Mithriaque)* aliique Victoriam, quae taurum sacrificat, ad Mithram referendam esse censent.

Romani Solem [21]) vel Phryges Sabazium, quatenus istius numinis notiones Mithrae censentiant notionibus.

Numen in Ponto peculiariter cultum et in summa habitum veneratione erat *Deus Lunus.* Ipse in vico Cabira, quae postea Diopolis, tum Sebaste, denique Neocaesarea nominabatur, magnum et celeberrimum habuit templum et regios sacerdotes [22]); neque majus graviusve reges Ponti noverant juramentum, quam ad Lunum Pharnacum [23]).

III. Dei autem Luni notiones cum notionibus Mithrae cohaerent. Quod ut probetur, de deo Luno nonnulla adnotare juvat.

Luna secundum veterum doctrinam duplicem habet naturam; ipsa est tam comparans quam separans; haec nominatur Artemis, illa Ilithyia [24]), vel, ut Plutarchus ait alio loco [25]), luna, sole foecundata, terram foecundat. Luna igitur est partim foecundans sive activa, partim accipiens sive passiva. Ex eadem ratione luna nominatur ig-

---

21) Mithras in monumentis romanis nominatur SOL INVICTVS. Zoega (*Abhandl. pag.* 125) negat quidem Mithram esse Solem; „nam haud raro, inquit, praeter Mithram ipsum in monumentis protome SOLIS et Luna conspicitur, haec cum luna falcata ad humeros, illa capite radiato"; sed jam Welkerus recte adnotavit (*loc. cit. pag.* 416), duo capita, quae Solis et Lunae simulacra nominare solent, duobus respondere geniis cum taeda elata et inversa. Atque re vera eadem capita, alterum radiatum, alterum cum luna falcata, exhibentur in numulo Damasci Coelesyriae cum epigraphe *ΑΝΑΤΟΛΗ* et *ΔΥΛΙΣ.* (Steinbüchel, *Notice sur les médaillons Romains en or du Musée J. R. de Vienne, pag.* 23. *Tab. II. fig.* 3.) Quae cum ita sint, nonne in monumentis quoque Mithriacis caput radiatum, quod super genio cum taeda elata positum conspicitur, SOLIS loco, *ΑΝΑΤΟΛΗΣ* protome nominari potest? Ex hac certe protome radiata, Mithram, qui in monumentis ipsis SOL nominetur, apud Romanos Solem fuisse, negari non potest.

22) Strabo, *Lib. XII. pag.* 557. *Tom. V. pag.* 218. *Tzsch.*

23) Strabo, *loc. cit. Τύχην βασιλέως καὶ ΜΗΝΑ Φαρνάκου.*

nis humidns [26]); nam ignis, teste Plutarcho [27]), est masculus et activus, humor autem vel aqua est feminea et passiva; ignis ergo humidus est tam activus quam passivus, vel natura lunae est activo-passiva. Quae duplex lunae natura in Asia minori duplici sexu, nimirum androgynice, tam a poetis et philosophis, quam ab artificibus exprimebatur. Quare deus Lunus, qui non est nisi luna mascula, frequenter fingitur ceu juvenis, vestimentis indutus muliebribus [28]), et teste Philochoro [29]) „ei sacrificium faciebant viri cum veste muliebri, mulieres in toga virili, quod idem mas existimetur et femina". Deus Lunus igitur, sive Luna mascula nominari potest ignis masculofemineus.

Jam quaeritur, qua ratione notiones dei Luni cum Mithra Persico cohaereant?

1. Persae, praeter deum Mithram, *deam* quoque venerabantur, nomine *Mitram*. Testis est Herodotus tradens [30]): *Ἐπιμεμαθήκασι*

---

24) Plutarch, *de facie in orbe lunae.*

25) Plutarch, *de Iside.*

26) Plutarch, *loc. cit.*

27) Plutarch, *Quaest. Romm.* 1.

28) Froelich, *IV. Tentam. pag.* 96.
Havercamp, *Mus. Regin. Christin. pag.* 165. *Tab. XXV. fig.* 12.
Gessner, *numism. ant. imper. Tab. CXXXVIII. fig.* 24.
Eckhel, *Sylloge num. vet. anecd. pag.* 35. *Tab. V. fig.* 11.
Pellerin, *Receuil, Tom. III. Tab. CXXXVI. fig.* 8 *etc.*

29) Philochori *Fragm.* et Macrob. *Saturn. III.* 8 vid. Creuzer, *Symbol. Tom. II. pag.* 34.

30) Herodot. *Lib. I. cap.* 131.

δὲ καὶ τῇ Οὐρανίᾳ θύειν, παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων· καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μύλιττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ ΜΙΤΡΑΝ.

Quae est autem haec dea Mitra? Eadem, teste Herodoto, ac Mylitta Assyriorum et Alitta Arabum, nempe numen muliebre, apud varias gentes varie nominatum, *αἰτία*, ut Plutarchus dicit [31]), vel principium naturae, quod nunc Veneri, nunc Palladi, frequentius Dianae [32]) comparatur [33]), cujus notio principalis est *luna* [34]).

Atque inde intelligimus, qua ex ratione Xerxes vastator solo Apollinis templo Delio pepercerit atque templo Ephesino, nimirum quia illud *Soli* dicatum praetendebatur, et hoc Dianae seu *Lunae* erat sacrum; hinc intelligimus, quomodo Magi ad regem Xerxem dicere potuerint, *ἥλιον εἶναι Ἑλλήνων προδέκτορα, ΣΕΛΗΝΗΝ ΔΕ*

---

31) Plutarchus in vita Crassi deam Hieropolitanam, quam alii cum Junone, alii cum Venere comparant, nominat *principium naturae.*

32) Commune *Veneris* nomen persicum est *Nahid*, seu subinde *Anahid* et *Nahida.* (Hyde, *vet. Pers. relig. pag.* 92.) Hinc apud autores graecos *Venus* vocata est *Ἀναΐτις* et *Νηΐτις.* Pausanias Anaitidem nominat *Dianam* (*Lib. III. cap.* 16, 6). *Τοῖς Ἀνδοῖς ἐστιν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος*; Clemens autem Alex. meminit *Ἀφροδίτης Ταναΐδος* pro *Ἀναΐτιδος.*

33) Varia deae Mitrae nomina vid. ap. Zoegam (*Abhandl. pag.* 101).

34) Conf. Creuzer, *Symbol. Tom. IV. pag.* 205 et alibi. Huc moneta referenda mihi videtur, quam cl. Havercampius ex Museo Regin. Christinae (*pag.* 203. *Tab. XXVII.*) ita descripsit:

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. Minerva *galeata atque tunicata stans, d. gerens Victoriolam, sin. hastam, ad cujus imum stat clypeus; ad humeros deae* luna falcata, *tamquam in imagine dei Luni.*

Luna falcata ad humeros procul dubio indicat, deam neque pro scientiarum ac belli praeside, neque, quamvis dextera Victoriolam gerat, pro Minerva victrice esse habendam, sed pro principio naturae, quod nunc Venus, nunc Mitra, nunc Minerva nominatur, cujus autem notio principalis est luna.

ΣΦΕΩΝ, lunam Persarum esse protectricem [53]), cum tamen secundum commune antiquitatis testimonium *Sol* vel ignis masculus illorum summus haberetur deus [36]); nimirum Persae deam quoque Mitram venerabantur, cujus notio primaria est luna; ipsi ignis (summi dei) naturam in duas diviserunt partes, in ignem masculum et femineum [37]); Mitra autem, sive Venus, sive Diana Persica erat ignis femineus vel *Σελήνη* [38]).

2. Hujus deae Persicae, nimirum Mitrae, sive Mylittae, sive Alittae, sive Veneris, sive Dianae cultus a Persis ipsis in Pontum et Cappadociam deferebatur.

In *Cappadocia*, inquit Strabo [39]), multi sunt magi, Pyraethi vo-

---

35) Herodot. *Lib. VII. cap.* 37.

36) A tempore Hystaspis sacerdotes praecipue vocati sunt Hyrbad, i. e. *praefecti ignis;* quod quidem nomen etiam ipse rex, pietate ductus, affectavit. Alii quoque reges illorum temporum similia affectabant nomina, e. g. rex Gjem cognominari voluit Shîd, i. e. *Sol;* unde emersit nomen Gjemshîd. Rex Kei-Cobâd assumsit sibi nomen arabicum Abdol-Shems, i. e. *servus Solis.* Hyde, *vet. Persar. relig. pag.* 87. — *Θεὸν δὲ ΗΛΙΟΝ μόνον ἡγοῦνται.* Strabo, *Tom. IV. pag.* 484.

37) Firmicus, *de error. profan. relig.*

38) Teste Firmico Persae ignem femineum nominavere Hecaten; Hecates autem notiones cum Luna arctissime cohaerere, nemo ignorat. — Hoc loco Hecates admonere juvat Musei Capitolini, ex tribus compositae figuris, quarum una, pugionem tenens dextera, et sinistra serpentem, caput habet radiatum et pileo Phrygio tectum. Tam caput radiatum et pileus Phrygius, quam pugio et serpens dei Mithrae nos commonefaciunt (v. Hirt, *Bilderbuch, pag.* 40). Ex hoc igitur Hecates simulacro Firmici testimonium de Hecate-Mitra confirmatur. — Ad eandem ignis in duas partes divisionem (in ignem masculum et femineum) astrum quoque et lunula, solis et lunae symbola, quae in numis Mithridatis III. et Pharnacis, regum Ponti, conspiciuntur, referenda esse videntur. Conf. Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 363. Visconti, *Iconographie grecque, Tom. II. pag.* 172 *et* 175.

39) Strab. *Lib. XV. pag.* 733. *Tom. VI. pag.* 224. *Tzsch.*

cati, et multa Persicorum deorum templa (*πολλά δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά*); sunt et Pyraetheia (*Πυραιθεῖα*), septa quaedam ingentia, in quorum medio ara est. In ea magi ignem perennem servant. Haec in *Anaitidis* delubris fiunt."

Alio loco Strabo narrat [40]): „Persarum praefecti, cum Saccas ad mare Euxinum vicissent, in campo deae *Anaitidi* templum posuerunt, cujus cultus etiamnunc ab iis celebratur, qui Zela, oppidum *Ponticum*, tenent". Paulo post Strabo eandem deam (Anaitidem) nominat *τὴν πάτριον τῶν Πέρσων θεόν*. „Cyrus, inquit [41]), divinitus oblatam sibi a Saccis victoriam arbitratus, diem istam *τῇ πατρίῳ θεῷ* consecravit".

Hanc Anaitidem, cujus sacra Persae in Cappadociam et Pontum detulerunt, eandem esse ac deam Mitram, vix dubitari potest; nam quae Persarum *ἡ πάτριος θεός* esse potuit, nisi ea, quam magi Selenen et Persiae protectricem nominavere? In cujus numinis honorem aeternus accensus fuisset ignis, nisi Mitrae, quae ipsa, sicut Selene, est ignis femineus? Praeterea Anaitidis cultus eodem celebrabatur modo ac dei Mithrae. In festis enim Mithriacis regi Persarum et saltare et inebriari licuit [42]). Simili modo et Saccaea agebantur; nam „festa erant bacchica (*ἑορτὴ βακχεία*), per diem et noctem Scythico habitu potantibus viris ac mulieribus, atque in vino invicem per joca et lasciviam concertantibus [43])".

3. Jam supra adnotavimus, varias doctrinas varias in diversis

---

40) Strab. *Lib. XI. pag.* 512. *Tom. IV. pag.* 478. *Tzsch.*

41) Strabo, *loc. cit. pag.* 482. *Tzsch.*

42) Zoega, *Abhandl. pag.* 105.
Creuzer, *Symbolik nnd Mythol. Tom. I. pag.* 732.

43) Strab. *Lib. XI. pag.* 512. *Tom. IV. pag.* 482. *Tzsch.*

provinciis subiisse mutationes. Num sacerdotes Pontici magorum de dea Mitra doctrinam incorruptam retinuerint, et ejus cultus tam in Ponto quam in Persia eodem celebratus sit ritu, difficile quidem dictu est, quia magorum doctrinam de dea Mitra et de ejusdem relatione ad deum Mithram haud satis cognitam habemus; sed hoc loco non tam de comparatione Mitrae apud Persas cum Mitra in Ponto culta agitur, quam de notionibus, quas Pontici sacerdotes deae Persicae adtribuerint; id est, hoc loco notiones non tam Mitrae *Persicae*, quam Mitrae *Pontico-Persicae* investigaturi sumus.

Jam ex festorum Saccaeorum descriptione, modo citata, nimirum viros ac mulieres invicem potasse et jocasse (*ἅμα τε καὶ αἱ συμπινοῦσαι γυναῖκες*) suspicari possumus, sacerdotes Ponti et Cappadociae, (sive Mitra apud Persas ipsos duplicem naturam habuerit, sive non habuerit,) quas cum deo Luno, easdem fere cum dea Persica notiones conjunxisse *androgynicas* [44]). Sed meras praeterire possumus conjecturas; numisma enim Comanorum, hujus numinis Pontico-Persici figuram exhibens, nullum de ejus natura androgynica dubio relinquit locum. Ibi exhibetur [45]):

---

44) Strabo, ubi de Saccaeis verba facit, addit: „*ibique deae Anaitidis et eodem altari gaudentium deorum Ὡμανοῦ (vel Ἀμανοῦ) et Ἀνανδράτου (vel Ἀνανδάτου) Persicorum geniorum, templum posuerunt*“. Erud. Bochartus vocem *Ἀμανός* de Sole intelligendam esse censet, et Hyde de voce *Ἀνάνδρατος* scribit: „*an nomen persicum sit, multum dubito. Ἀνάνδρατος potius videatur graecum, q. d. Eviratus, forte quasi virilibus destituta statua; nam alias Ἄνδρατα in Targumim est statua virilis. Quaere ergo, an in supradicto Ἀνάνδρατος Alpha sit privativum, q. d. statua non virilis seu feminina?*“ Anaitis igitur, secundum horum Eruditorum sententiam, commune templum habuit cum Amano Sole et Anandrato Evirato.

45) Millin. *Ancient coins of greek cities and kings, pag. 67. Tab. V. fig. 4.*

Sestini, *Descr. del Mus. Hedervar. Tom. II. pag. 14. Tab. XVI. fig. 2.*

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag. 446 no. 166.*

Figura juvenilis vestibus muliebribus induta, capite radiato, dextera scuto imposita, sinistra clavam tenens erectam.

Clava in manibus deae adfert nobis memoriam Omphales, quae, leonis exuviis tecta, Herculis clavam gestat; dum vice versa vestimentum muliebre, quo figura, clavam gestans, induta est, Herculis admonet Sandonis, purpureis [46]) Lydarum mulierum induti vestimentis. Johannes autem Lydus, ubi de Hercule Sole verba facit, adnotat, in ejus mysteriis viros in vestibus muliebribus sacrificare [47]).

Clypeus in dextera deae Comanensis de eo Marte [48]) admonet, cui item mulieres in vestibus virorum sacrificant; atque sane notatu dignum est, deam Comanensem ipsam nominari *Ἐνύω* sive Bellonam [49]).

Corona denique radiata, quae alioquin caput Solis virilis circumdat, capiti muliebri imposita, Atyos commonefacit evirati, qui, quemadmodum Hercules Sandon in vestibus muliebribus, Solis hiemalis est symbolum.

Deam igitur Pontico-Persicam Comanorum, quae tam Herculis, Martis et Atyos, quam Omphales, Bellonae et Cybeles attributa et notas unitas prae se ferat, numen esse *androgynicum*, dubitari non

---

46) Persae affectant induere vestes flavescentes aut rubescentes flammei seu latericii coloris, quippe qui ignem quodammodo referat simuletque. Hyde *loc. cit. pag.* 21. Hinc Curtius meminit in solenni Xerxis processione (secundum numerum dierum anni) fuisse 365 juvenes puniceis amiculis velatos i. e. rubeis.

47) Joh. Lyd. *de mens.*

48) Sacer ignis, in Pyraeis servatus, a Persis vocabatur *Ignis Martis.* Hyde, *loc. cit. pag.* 11. Quocum conferatur Strabo, qui de Caramania loquens, refert, Caramanos asinum sacrificare *Marti*, *ὃν Πέρσαι σέβονται Θεῶν μόνον.*

49) Strabo, *Lib. XII. pag.* 535. *Tom. V. pag.* 16. *Tzsch.*

potest. Deam vero Comanensem esse eandem ac Anaitidem sive Mitram, omnes eruditi Antiquarii consentiunt.

IV. Hactenus vidimus, cultum deae Persicae, cui aeternus servabatur ignis [50]), a Persis ipsis in *Pontum* et Cappadociam fuisse delatum; hanc autem deam Persicam (sive Mitra nominetur, sive ignis femineus, sive Anaitis, sive Bellona,) in his regionibus ut numen *androgynicum* fuisse cultam. Quare si Herodotus [51]) Mitram Persicam cum *dea* Venere comparat (*καλέουσι δὲ Πέρσαι τὴν Ἀφροδίτην Μίτραν*), nos deam Persicam, in *Ponto* cultam, cum *deo* Venere componere possumus; nam deus Venus sive *Ἀφροδίτος*, sicuti Anaitis, mas existimatur et femina; atque quemadmodum dea Comanensis, vestibus induta muliebribus, adtributa habet virilia, ita deus Venus fingitur barbatus, sceptro et natura viri praeditus, sed muliebri veste ornatus. Si porro Strabo deam Persicam comparat cum *Luna* vel Diana Tauropolo [52]), quacum Selene conferatur, quam magi Persarum nominavere protectricem; nos eandem, quia in Ponto et Cappadocia naturam induit, ut vidimus, androgynicam, cum *deo Luno* comparare possumus. Imo sunt, qui locum corruptum Strabonis, ubi de Bellona sive dea Comanensi verba facit, nempe „*τὸ τῆς Ἐννοῦς ἱερὸν, ὃ ἐκεῖνοι KOMANA ὀνομάζουσι*“ ita corrigant „*ὃ ἐκεῖνοι MAAN ὀνομάζουσι*“ [53]), vocem autem *Μαᾶν* idem significare affirment ac *MHN*, *Lunus* [54]).

Mitra igitur Pontico-Persica est numen androgynicum, cui aeter-

---

50) Strabo, *Lib. XV. pag.* 733. *Tzsch.* 225.

51) Herodot. *Lib. I. cap.* 131.

52) Strabo, *Lib. XII. pag.* 535 *Tom. V. pag.* 17. *Tzsch.*

53) Not. in Strab. *loc. cit.*

54) Conf. Millingen, *ancient coins of greek cities and kings, pag.* 68.

nus accenditur ignis, et ipsa ob naturam suam duplicem nominari potest *Mitra-Mithras* vel ignis femineo-masculus.

Quia vero deus quoque Lunus est numen androgynicum (praedominante tamen natura mascula), nimirum Luna mascula vel ignis masculo-femineus: ob duos genios cum taeda elata et inversa, qui alioquin Mithram comitantur, Lunus pari modo nominari potest *Mithras-Mitra*, sicuti Anaitis *Mitra-Mithras*, id est: notiones deae Mitrae Pontico-Persicae arctissime cum notionibus dei Luni cohaerent, et inde Lunus equestris, in numismate Trapezuntico inter duos genios cum taeda elata et inversa positus, non sine gravi causa nominari potest Mithras [55]).

Reliquum est, ut nonnulla adnotemus de luna falcata, quae alioquin ad Luni humeros conspicitur. Jam supra observatum est, deum Lunum in numismate nostro lunam falcatam ad humeros non habere; quod conjecturam meam de Luno-Mithra miro modo illustrat.

Trapezus praeter Lunum equitem in pecunia sua et *protomen* Luni equestris signavit; haec autem protome operta est tiara *radiata* [56]). Inde facile adducor, ut credam, deum Lunum in reliquis quoque numis Trapezunticis, qui (non protomen, sed) *totam* ejus figuram equestrem exhibent, tiaram habere radiatam; radios autem, sive quia

---

55) Forsitan sunt, qui objiciant, mysteria Mithriaca clam fuisse facta; Mithrae ergo typum quaeri non posse in numis, qui semper publicam habuerint auctoritatem: sed his respondet moneta Tarsi Ciliciae, supra citata, in qua Mithras, taurum sacrificans, non agnosci non potest.

56) Patin, *numism. Imper. rom. pag.* 265. *fig.* 5.
Jobert, *la science des méd. Tom. I. Tab. X. fig.* 8.
Gessner, *numism. Imper. rom. Tab. CXXVII. fig.* 84. *Tab. CXXXVI. fig.* 45.
Fröhlich, 4. *Tentam. pag.* 246 et 279.
Eckhel. *Catal. Mus. Caes. Vindob. Tom. I, pag.* 138 *no.* 1.

lineamenta justo sint minutiora, sive quia typi ipsi sint detriti, nonnunquam haud satis luculenter apparere. Et sane in numismate, a Mionneto vulgato [57]), quod Trapezus in Caracallae honorem fieri fecit, Lunus equestris, ad aram accedens, caput habet tectum tiara radiata, quemadmodum protome modo citata.

Lunus igitur in pecunia Trapezuntica, loco lunae falcatae ad humeros, tiaram habet radiatam in capite. Quia vero Lunus cum tiara radiata in capite, lunula ad humeros neglecta, typus est omnino insolitus, ratio peculiaris adesse debet, cujus causa Lunus in pecunia Trapezuntica caput habeat radiatum.

Caput radiatum dei Mithrae nos commonefacit, qui in moneta Tarsi Ciliciae, et deae Comanensis sive Mitrae Pontico-Persicae, quae in moneta Comanorum simile caput habet radiatum [58]). Huc accedit, Lunum equestrem in nostro numo et in eo, quem Mionnetus vulgavit [59]), et procul dubio in reliquis quoque numis Trapezunticis, praeter tiaram habere chlamydem et tunicam succinctam et anaxyridem sive sarabaram, quemadmodum deus Mithras in monumentis romanis. Quae omnia nobis persuadent, artifices Trapezunticos in fingendo deo Luno Persarum religione fuisse ductos, et Lunum in pecunia Trapezuntica non tam pro deo Pontico, quam pro deo Pontico-Persico esse habendum, et ipsum, lunula falcata neglecta, caput habere radiatum ex hac potissimum causa, quia non est deus Lunus, sed Lunus-Mithras.

---

57) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. IV. pag.* 458 *no.* 216.

58) Conf. Hecaten, supra citatam, cujus caput pileo tectum est Phrygio radiato.

59) Mionnet, *loc. cit.* habet: „*Le dieu Lunus à cheval, marchant à dr., la tête couvert du bonnet phrygien radié, vêtu de la chlamyde et d'une espèce d'anaxyris; devant un autel, derrière un arbre*".

Quare, me quidem judice, praeter *Mithram-Solem* in monumentis romanis etiam *Mithram-Lunum* habemus in pecunia Trapezuntis [60]).

---

60) Diversae notiones Mithriacae simplicissime forsitan definiuntur hunc in modum: *Mitra Persica* est ignis femineus, cujus notio primaria est luna. Selene, Persarum protectrix.

Mithras Persicus est ignis maseulus, cujus notio principalis est Sol. Sol, summus Persarum deus.

Anaitis sive *Mitra Pontico-Persica* est ignis femineo-masculus, praedominante natura feminea, *Mitra-Mithras.*

Lunus denique sive *Mithras Pontico-Persicus* est ignis masculo-femineus, praedominante natura mascula, *Mithras-Mitra.* —

Dicendum porro esset de relatione Mithrae-Luni (in pecunia Trapezuntica) ad Mithram-Solem (in monumentis romanis); qua ex ratione hic taurum sacrificet, ille autem equo insideat; de serpente, constanti Mithrae comite, qui in nostro quoque numismate exhibetur; de relatione duorum geniorum adstantium ad Mithram intermedium, etc.; verum hae quaestiones nimium a fine mihi proposito abhorrent; hinc contentus sum, si quae de Luno dixi, novum doctrinae Mithriacae affusura sint lumen.

BITHYNIA.

HERACLEA.

Caput Herculis imberbe adversum, leonis exuviis tectum, pelle sub collo ligata.

Figura muliebris seminuda alata, ad sinistram super clava genibus innixa, dextera elata cum cuspide ultimam scribit literam *τοῦ HPAKΛEIA. Tab. III. fig.* 1 . . . . . AR. 5.

Eruditissimus Sestinius de typo hujus perrari numismatis adnotat: „Pro pedibus figurae muliebris conspicitur *tuba*, non vero clava; hinc figura alata, genibus innixa, non pro Victoria, sed pro Fama est habenda; typus autem ad varias Mithridatis de Romanis victorias est referendus“ [1]).

Cui Sestinii explicationi adsentire non possum; nam quae viro perdocto tuba videbatur, clavam esse, nodi ex utraque parte prominentes satis evincunt; tum numismatis fabrica et stilus picturae Dionysii et Timothei magis, quam Mithridatis temporibus conveniunt; probabilitatem denique superat omnem, Heracleotas in pecunia sua gloriam professos esse regis, cui non nisi inviti, ad perbreve tempus, subjecti potius quam foedere juncti erant.

---

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VII. pag.* 48 *nro.* 7. *Tab. I. fig.* 16.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. V. pag.* 52 *no.* 261.

Cum enim Mithridates, teste Memnone apud Photium [2]), aegre ferens, Chios olim Rhodiis auxilium tulisse, Chium obsideret ejusdemque incolas captivos in Pontum abducturus esset; Heracleotae, submersis regis navigiis, Chios, obsidione liberatos, ceu socios in suam receperunt civitatem.

Pari modo, cum Senatus populi Romani Murenae summum imperium commisisset, et tam Eupator, quam Romanorum imperator Heracleotarum subsidium peterent, hi, neutram partem adjuturi, legatis: tantum abesse, responderunt, ut, rebus tam turbidis, aliis auxilium ferre possint, ut ipsi se defendere nesciant. Immo cum paulopost Mithridates Cottae, Chalcedonis portum obsidenti, obviam iret, Heracleotae ejus naves ne in portum quidem receperunt, hac una regiis militibus facta copia, ut res necessarias emturi urbem intrarent.

Cives igitur, qui Mithridatem tali modo tractaverint, monetam in ejus honorem cudendam curasse, num vel levem prae se fert probabilitatis speciem?

Elapso tandem alioquo temporis spatio rex quidem, Lamacho Heracleotarum rem publicam gerente, per fraudem in urbem penetravit, atque Heracleotae, tali modo praeter voluntatem suam Romanorum hostes effecti, Mithridatis partes secuti sunt; sed neque Heracleotarum, neque regis fortuna ex eo tempore tanta fuit, ut esset, cur Heracleotae regis gloriam per numismata posteritatis famae mandarent; nam Mithridates, adversae fortunae obnoxius, Cabiram et inde in Armeniam fugere coactus est; urbs autem Heraclea, per duorum annorum intervallum pressa, tandem a Romanis, quibus Camnacorix et Damnophilus perfidiose portas aperuerunt, capta et direpta est [3]).

---

2) *Hist. de l'Acad. R. des inscr. et belles lettres. Tom. XIV. pag.* 310.

3) Loc. cit. *pag.* 316—320.

Si vero typus Victoriae, genibus clavae innixae, ex historia explicandus tibi videatur, (at perpauca numismata graeca historicis inscripta sunt typis); numisma nostrum, me quidem judice, cusum est, quo tempore Heracleotae, postquam per 75 annorum spatium tyrannos domesticos et Lysimachi imperium inviti tulerant, in libertatem se vindicarunt [4]); huic enim epochae non tantum numismatis artificium et stilus picturae miro modo respondent, sed Heracleotae tunc temporis et justam habebant causam imprimendi pecuniae suae genium alatum, qui clavae Herculis, quem urbis nominabant et conditorem et protectorem [5]), genibus innixus, nomen urbis *HPAKΛEIA* posteritati famaeque traderet [6]).

---

4) Strabo, *Lib. XII. pag.* 542. *Tom V. pag.* 55. *Tzsch.* *Ἦν τε αὐτόνομος, εἶτα ἐτυραννήθη χρόνους τινάς· εἶτ' ἠλευθέρωσεν ἑαυτὴν πάλιν.*

5) Sic Chameleon Herocleota Seleuco regi *Ἡρακλῆς*, inquit, *κάρρων Σέλευκε.*

6) Sestinius (*Lettere numism. contin. Tom. VII. pag.* 48 *Tab. I. fig.* 16) minus accurate *HPAKΛEIA* loco legit *ERAKΛEIA.*

MYSIA.

GERME.

S. Severus.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ϹΕΠ. ϹΕΟΥΗΡΟϹ. ΠΕ. Caput S. Severi laureatum cum paludamento ad dexteram.

ϵΠ. C.. ΑΙ. ΝϵΙΚΙΟ.. ΓϵΡΜΗΝΩΝ. Hercules nudus ex adverso stans, dextera tergo admota, sinistra clavae, exuviis leonis superinductis, cippo impositae innititur; pro pedibus cerva humi prostrata, atque Telephus, dexteram versus Herculem extendens; in area aquila expansis alis in apice montis. *Tab. III. fig.* 2 . . . . . AE. 11.

Hujus perrari numismatis, in Museo olim Cousinéryano nunc Monacensi adservati, partem posticam cel. Mionnetus ex catalogo Cousinéryano minus accurate describit his verbis [1]):

ϵΠ.. ΒΑΛ. (?) ΝϵΙΚΟΜΑΧΟΥ (?) ΓϵΡΜΗΝΩΝ. Hercule nu appuyé sur sa massue, près de lui aigle sur un rocher, les ailes éployées; les chevaux (?) de Diomède au milieu.

---

1) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 556 *no.* 270.

Numisma consimile, in Museo Comitis a Wiczay adservatum, ab editore Musei Hedervarii sic describitur [2]):

ЄΠ. CTP. AI. NЄIKIC... ΓЄPMHNΩN. *Hercules Farnesius sm. stans et clavae, exuviis superinductis arae impositae, incumbens, aquilam e rupe apertis alis eminentem respicit; infra Diomedes nudus dextra aram eandem exterritus tenet, sinistra dejectae equae dorso innixus.*

Sestinius, numisma Hedervarium repetito subjiciens examini, sequentem proponit descriptionem [3]):

ЄΠ. CTP. AI. NЄIKIOϒ. ΠPϒ. ΓЄPMHNΩN. *Hercules Farnesius stans d. tergo admota, s. clavae exuviis leonis superinductis arae impositae innixus; e longinquo ingens rupes, cui insistit aquila alis expansis, infra Diomedes nudus d. aram eamdem exterritus attinet, s. dejectae equae dorso innixus.*

Numum nostrum exemplari Hedervario omnino esse conformem, nemo non videt; sed in nostro vox *ΠPϒ*, quam Sestinius legendam esse censet, non conspicitur, atque re vera spatium angustius est, quam ut post vocem *NЄIKIOϒ* tres adhuc literae locum obtinere possint. Quod adtinet ad typum, Cousinéryus, Sestinius et editor Musei Hedervarii figuram humi sedentem nominant *Diomedem*, animal autem *equam*. Cousinéryus scribens „les chevaux de Dioméde“ plures equas vidisse videtur. At licet ex lineamentis, paullulum detritis, non satis liquide appareat, num animal, humi de-

---

2) Com. a Wiczay, *Mus. Hedervar. Pars. I. Addit. pag.* 5 *et* 7.

3) Sestini, *Descr. dell. méd. ant. del Mus. Hederv. Tom. II. pag.* 101 *no.* 6.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 363 *nro.* 514.

cumbens, cerva, an equa nominari debeat: neque Herculis status, neque figurae sedentis habitus talis est, ut cum saepe laudatis antiquariis Diomedes cognosci queat.

Herculem, Diomedis equas domitantem, non insolitum quidem numorum antiquorum typum esse constat, at in his semper vel equos freno, vel Diomedem capillis retinens, et dextra elata clavam vibrans fingitur [4]). In nostro numismate Hercules quietus consistit, dextera tergo admota et clavae innixus. Verum non immerito quaeri posse videtur, num hic situs conveniat heroi, terribiles bestias, quae ipsius amasium Abderum discerpserant, domituro? Tum, etsi concesserimus, Diomedem quandoque nonnisi cum una equa fictum occurrere: figura tamen nuda sedens non, quasi veniam precatura, aram circumplectitur, sicut dicti antiquarii opinantur, sed dexteram versus Herculem extendit; atque ipsam infanti esse similiorem, quam audaci Bistonum regi, nemo non videt. Animal insuper bestiae quiete quidem decumbentis, non vero violenter dejectae speciem prae se fert. Quam denique aquila, rupibus insistens et harum rerum quasi spectatrix, ad Diomedem ejusque equas habet relationem?

Quae omnia, si figuram sedentem Telephum esse statuerimus, facillima erunt explicatu. Telephus, Herculis et Auges filius, ex Jovis decreto [5]), (hinc aquila spectatrix) a cerva nutritus (inde Telephus nominatus, *ἀπὸ τῆς τρεφούσης ἐλάφου*) ab Hercule invenitur, qui,

---

4) Vaillant, *Numism. graec. imper. pag.* 49.
Froelich, 4 *Tentam. pag.* 267.
Eckhel, *Catal. Mus. Caes. Vindob. Pars. I. pag.* 145. *Tab. III. fig.* 5.
Pellerin, *Mélange de diverses méd. Tom. I. Tab. XIV. fig.* 5.
Zoega, *numi aeg. imper. pag.* 192. *Tab. XI.*
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. II. pag.* 304 *no.* 620.

5) Conf. Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 469.

miraculo velut attonitus, non aquilam, quemadmodum editor Musei Hedervarii opinatur, sed puellum contemplatur.

Haec fabula frequenter a veteribus in artis materiam lecta, saepe monetae impressa invenitur. Causa vero Germensibus Mysiae fuit peculiaris, cur eam pecuniae suae inferrent; nam Telephus adultus et ab oraculo matris fatum edoctus, in *Mysiam* profectus est, ubi, a rege Teuthrante adoptatus, tandem regni gubernaculum capessivit. Quare in honorem ejus in vicino Pergamo hymni decantari et sacra publica fieri coepta sunt, ipso passim in typum monetae Pergamensis electo [6]).

Singulas quoque figuras in aliis monumentis, Herculem et Telephum exhibentibus, eodem modo habemus repraesentatas, ac in nostro numismate. Hercules stans, dextera tergo admota, et Telephum contemplans, aquilâ intermediâ, proponitur in picturis Herculanensibus [7]); Telephus in eadem fere positione ac in nostro numo, prope cervam sedens, aquila rupibus insistente spectatrice, exhibetur in gemma Musei Caesarei Vindobonensis [8]).

PERGAMVS.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum ad d.

.. *ΓΑ.* Pallas ex adverso stans (in forma hermae) dextra elata hastam intorquet, sin. clypeum tenet. *Tab. III. fig.* 3 . . . . . AR. 1.

---

6) Eckhel, *loc. cit.*

7) Pitt. Ercol. *Tom. I. Tab. VI.*

8) Eckhel, *Choix de pierres gravées, Tab. XXVI.*

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum ad d.
ΠΕ.. Caput Palladis galeatum ad d. *Tab. III. fig.* 4 . .
. . . . . AE. 1.

Cl. Sestinius hos numulos ex Museo Cousinéryano, nunc Regis Bavariae, vulgavit, et *Alexandro*, Neoptolemi filio, regi Epiri adjudicavit, legens in hoc *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ*, in illo *ΑΛ. ΝΕΟ.* [1]); sed haec epigraphe in numis ipsis non conspicitur; nam in altero legitur *ΠΕ*, in altero .. *ΓΑ*. Ambos *Pergamo* Mysiae esse vindicandos, similes probant numuli, a Pellerinio [2]) et C. Combeo [3]) vulgati.

Augustus.

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.... Caput Augusti nudum ad. d.
Α. ΦΟΥΡΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ. Apollo nudus ex adv. stans, d. telum tenet, sin. arcum . . . . . AE. 3.

Sestinius *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΦΧΩΝ* loco minus accurate legit *ΓΥΜΝΑΣΙΑΧΗΣ* [4]). Hic numulus sequenti monetae lumen quoddam affundit.

ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΒΟΥΛΑΙΩΙ. Caput Augusti laureatum ad d.
Α. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Vas patulum trapezae impositum .. AE. 4.

---

1) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 163.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. III. pag.* 420 *no.* 4.

2) Pellerin, *Recueil de méd. Tom. II. Tab. XXXVIII. fig.* 38 *et* 46.

3) Combe, *numi vet. Mus. Hunter. pag.* 230 *nro.* 12.

4) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 288 *nro.* 10.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 427 *no.* 922.

Vix ullam invenies monetam, de cujus epigraphe major circumferatur opinionum varietas:

A. ΦΟΥΡΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ (omissa voce *ΙΕΡΕΥΣ*) habet Mionnetus [5]); —

A. ΦΟΥΡΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ legit Sestinius [6]); —

M. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣ scribunt Harduinus et Vaillantius [7]); —

M. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ exhibet Gallandus [8]); —

M. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΑΡΧΩΝ credit Pellerinius [9]); —

. . . . *ΙΕΡΕΥΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧ...* vidit Eckhelius, quod ipsi

M. ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ supplendum videbatur [10]).

Me non fugit, vocem „gymnasiarcha“ ex more antiquitus recepto scribi *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΣ*, vel *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣ*, vel, quemadmodum in marmore Gruteri, *ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ*; sed in hoc numismate veram esse epigraphen: *A.* (sic) *ΦΟΥΡΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ* (sic), non tantum antecedens Augusti numulus, idem praeferens magistratus nomen, sed etiam tria exemplaria Musei Monacensis indubium reddunt.

---

5) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. II. pag.* 594 *nro.* 538.

6) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 288 *nro.* 11.

7) Vaillant, *Numism. graec. imper. pag.* 5.

8) Gallandus, *ad Morellium epistola.*

9) Pellerin, *Mélange de méd. Tom. II. pag.* 13.

10) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 417.

Gymnasiarcha, ut nomen indicat, supremus erat gymnasii moderator, et ex Strabone scimus, eum et olei custodem fuisse; nam de Boetho, ab Antonio sui loco Tarsensium gymnasiarchiae praefecto, Strabo narrat [11]): „Deprehensum est, eum cum alia, tum oleum peculari".

Vas patulum, trapezae impositum, nescio an ad gymnasium sit referendum. De voce *ΒΟΥΛΑΟΣ*, quo titulo Augustus in numismatis parte antica salutatur, videatur Eckhelius [12]).

Gallienus.

ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. Caput Gallieni laureatum cum paludamento.

ЄΠΙ CЄΙ. ΚΛ. CЄΙΛΙΑΝΟΥ ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ Γ. ΝЄΩΚ. Duo viri nudi stantes, ara intermedia, unâ caput arietis tenent . . . . . AE. 9.

Cl. Sestinius, false legens [13]): *ЄΠΙ CЄΞ. ΚΛ. ΚΑCCΙΑΝΟΥ*, vituperat Eckhelium, qui tamen recte legit: *ЄΠΙ CЄΙ. ΚΛ. CЄΙΛΙΑΝΟΥ.*

---

11) Strabo, *Lib. XIV. pag.* 705. *Tzsch.*

12) Eckhel, *loc. cit.*

13) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 243 *nro.* 40.

TROAS.

ALEXANDRIA.

CO. ALEX. TRO. Caput muliebre turritum ad d., pone vexillum, cui inscriptum CO. AV.

COL. AVG. TRO. Figura togata ex adverso cippo insistens, d. pateram, sin. arcum tenet; ex adverso stat figura barbata, togata, d. ramum tenens, sin. super tripode sacrificans. *Tab. III. fig.* 5 . . . . . AE. 5.

Cl. Millingenius[1]) numen similem, sed minus conservatum, prae oculis habuise videtur. Ipse partis posticae typum his describit verbis:

Figura cippo insistens cum pedo et patera; ex adverso stat mulier super tripode sacrificans.

Figura, inquit, cippo insistens et altera manu pedum, altera pateram tenens, nympha videtur esse Ida, mater Herophiles; mulier vero ex adverso stans et super tripode sacrificans est genius urbis Troadis. Ita Millingenius; at quid sibi vult nympha cum pedo et patera? Tum genius urbis in uno eodemque numismate vario repraesentatus modo, nimirum in parte antica capite turrito, in po-

---

1) Millin. *Recueil de quelq. méd. grecq. inéd. pag.* 64.

Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 513 *no.* 98.

stica non turrito? Eadem denique figura sacrificans, quam genium nominat muliebrem, in tabula Millingeniana barbam habet prolixam [2]).

Nostrum numisma, optime conservatum, de typi significatu vix ullum relinquit dubium. Quod Millingenio in figura, cippo insistente, pedum visum est, arcus pars est superior; quod ipse pro velo sumsit caput circumdante, capillus est, hinc et inde defluens. Habemus igitur Apollinem Smintheum, solitum in Alexandriae numis typum, cui sacerdos barbatus, ex adverso stans, super tripode sacrificat.

---

2) Millingen, *loc. cit. Tab. III. fig.* 21.

AEOLIS.

CANAE.

Taurus cornupeta ad dextram.

KA. Sphinx alata pedibus posterioribus insidens ad d.

Tab. III. fig. 6 *et* 7 . . . . . AE. 2.

In pecunia *Gergithi* Troadis hinc caput laureatum adversum, inde sphinx alata exhibetur, posterioribus pedibus insidens; quod eruditissimo Sestinio ansam dedisse videtur, ut nostrum quoque numisma, eandem exhibens sphingem alatam, eidem urbi (Gergitho) adtribuendum censeret et sequentem proponeret descriptionem [1]):

Taurus cornupeta ad dextram.

ΓEP. Sphinx ad d. posterioribus insidens, in area hinc K inde A.

Attamen si Sestinii sententia non aliis, ut videtur, quam duobus, in Museo Regis Bavariae adservatis, innititur exemplaribus, equidem ei adsentire non possum; nam quamvis ea summa cura iterum iterumque examinaverim, solas tamen literas *KA* vidi, neque vero epigraphen *ΓEP* detegere potui. Alia quoque exemplaria, optime conservata, quae pro oculis habui, alterum pro Museo Monacensi nuper acquisitum, alterum in Museo Lib. Baronis de Knobels-

---

1) Sestini, *Mus. Hedervar. Tom. II. pag.* 100.

dorf adservatum, non nisi literas *KA* prae se ferunt. Quin Sestinius ipse, cum primo talem numulum vulgaret, scripsit [2]): „*EP. Sphinx sedens*“, de literis autem *KA* nullum fecit mentionem; id est, Sestinius ipse duas tantum vidit literas. Idem alio quidem loco [3]), cum eundem numulum delineatum cum erudito orbe communicaret, et hunc in finem ejus descriptionem repeteret, scripsit: „*ΓEP Sphinx sedens, in area KA*“; (in tabula aenea, huic descriptioni addita, exhibetur: *ΓEPΓ. Sphinx sedens, in area KA*“); at vero in uno eodemque numo legi non posse nunc *EP*, nunc *ΓEP. KA*, nunc *ΓEPΓ. KA*, nemo non videt.

Quod ad me attinet, Sestinium sequenti modo in errorem inductum esse suspicor. Ipse in *altero* numulo, minus conservato, literas *KA*, quae profecto in uno exemplari paullulum detritae sunt, sumsit pro *EP*; epigraphe autem *EP* ob sphingem alatam ipsi *ΓEP* vel *ΓEPΓ* supplenda, et ad Gergithum Troadis referenda videbatur [4]). Postea, cum in *altero* exemplari, melius conservato, literas *KA* videret, monetam ad Gergithum pertinere opinatus, has literas esse initiales magistratus judicavit atque epigraphen *KA* unius numuli cum literis *EP*, quibus alterum inscriptum credidit, conjunxit, et ita factum est, ut *EP. KA*, dein *ΓEP. KA* et denique *ΓEPΓ. KA* legerit, quamvis re vera solae literae *KA* adsint.

Quoniam epigraphe *ΓEP* sive *ΓEPΓ* in numis controversis non

---

2) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. I. pag.* 91.

3) Sestini, *Mus. Hederv. Tom. II. Tab. XVII. fig.* 8.

4) Sestini, (*Lettere numism. contin. Tom. I. pag.* 91) habet: „*Nel catalogo mss. del sig. Cousinéry osservai descritta sotto Perga della Panfilia una medaglia, la quale per avventura potrebbe assegnarsi a quest' istessa città (Gergis)*, se fossero state le lettere ben conservate. *Eccone la descrizione*“:

„*Taurus cornupeto.*)(. *EP. Sphinx ad s. sedens.*“

reperitur, typus autem sphingis alatae rationem sufficientem suppeditare non potest, ob quam numuli nostri Gergithii, et literae *KA* initiales magistratus habeantur: aliam urbem monetariam, typis, nimirum sphinge alata et tauro cornupeta, atque literis *KA* ducibus, quaeramus necesse est.

Sphingis quidem significationem in numis graecis nondum satis explicatam habemus, taurus autem cornupeta est typus in veteri pecunia adeo communis, ut ex eo patria cujusdam numismatis vix cognosci queat; sed nihilominus tam epigraphe, quam typus probabilitatem non modicam mihi afferunt, numulos nostros ad Canas, in sinu Adramytteno sitas, pertinere.

Cana sive *Canae*, oppidum, juxta extremas Lesbi versus meridiem partes [5]), in sinu Idaeo sive Adramytteno situm et Lecto promontorio oppositum, nimirum sinum Adramyttenum, qui inde a Lecto Troadis patet, finiens [6]), colonia erat ex Dio, urbe insulae *Euboeae*, deducta, teste Strabone, tradente [7]): *ἐκ δὲ τοῦ Δίου Κάναι τῆς Αἰολίδος ἐπῳκίσθησαν. A Dio Canas, Aeolidis urbem, deducta est colonia.* Strabo alio quidem loco [8]) Canam Locrensium nominat urbem, e Cyno eo profectorum, *Κάναι δὲ*, inquit, *πολίχνιον Λοκρῶν τῶν ἐκ Κύνου*; sed hoc non impedit, quominus eandem recte coloniam nominemus Euboicam; nam aut Euboeenses Locrensibus et Achaeis, in Asiam migrantibus, se socios adjunxerunt, aut, quod probabilius, Locrenses et Achaei, antequam in Asiam migrarent et Cy-

---

5) Strabo, *Lib. XIII. pag.* 615. *Tom. V. pag.* 416.

6) Strabo, *Lib. XIII. pag.* 584. *Tom. V. pag.* 262. *Tzsch.*

7) Strabo, *Lib. X. pag.* 446. *Tom. IV. pag.* 17. *Tzsch.*

8) Strabo, *Lib. XIII. pag.* 615. *Tom. V. pag.* 416. *Tzsch.*

men Larissamque Phriconida, oppida Canis vicina, conderent, in insula Euboea per aliquod temporis intervallum morati sunt.

Pecuniam Euboicam bove cornupeta 9) consignatam esse constat. Quibus metropolis, iisdem typis coloniae in aere suo uti solebant; nonne igitur *bos* cornupeta in parte antica numulorum nostrorum, *KA* inscriptorum, Canam, coloniam ex Euboea deductam, indicare potest?

Jam quaeritur, num *sphinx* in parte postica huic sententiae non repugnet? Quem in finem non abs re esse arbitror inquirere, quam significationem sphinx habeat *Gergithia;* nam in aere Gergithio, ut supra adnotavimus, eadem ac in nostris numulis exhibetur sphinx alata et posterioribus pedibus insidens.

---

9) In pecunia Euboica solitus typus est: caput bovis cum vel sine infulis, vel bos gradiens vel cornupeta. Cl. Eckhelius (*Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 322.) hunc typum ad nomen insulae esse referendum, recte docuit; at vero, quam ob causam insula ipsa a bove nominabatur? Respondemus, ob Jonem; Strabo enim habet (*Lib. X. pag.* 445): *Τάχα δ' ὥσπερ ΒΟΟΣ αὐλὴ λέγεταί τι ἄντρον ἐν τῇ πρὸς Αἰγαῖον τεταμμένῃ παραλίᾳ, ὅπου τὴν Ἰὼ τεκεῖν φασιν Ἔπαφον, καὶ ἡ νῆσος ἀπὸ τῆς αὐτῆς αἰτίας ἴσχε τοῦτο τοὔνομα. Fortassis, sicut antrum quoddam in ora, mari Aegaeo obversa, BOVIS aula dicitur, ubi IO Epaphum enixa dicitur, ita hinc insula quoque Euboea fuit nuncupata.* Pari modo apud Stephanum Byzantinum (*s. v.* Ἄβάντις) memoriae proditum legimus: *Ἄβάντις ἡ Εὔβοία, ὡς Ἡσίοδος ἐν Αἰγιμίου δευτέρῳ περὶ ΙΟΥΣ·*

νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι δίῃ
Τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κικλήσκον θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
Τὴν τοτ' ἐπώνυμον ΕΥΒΟΙΑΝ ΒΟΟΣ ὠνόμασεν Ζεύς.

Abantis, ita Euboea dicitur, uti est apud Hesiodum in Aegimio secundo de JO;

Insula in Abantide nobili,
Quam prius Abantidem vocarunt dii semper existentes,
Hanc tum cognominem EVBOEAM BOVIS nominavit Jupiter.

Bovis igitur typus in pecunia Euboica ad Jonem est referendus.

Stephanus Byzantinus habet [10]): *Γέργις, πόλις Τροίας, ὁ πολίτης Γεργίθιος· τὸ θηλυκὸν Γεργιθία· ἡ χρησμολόγος Σιβύλλα, ἥτις καὶ τετύπωται ἐν τῷ νομίσματι τῶν Γεργιθίων, αὐτή τε καὶ ἡ σφίγξ, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πρώτῃ· ἐν δὲ τῷ τοῦ Γεργιθίου Ἀπόλλωνος Σιβύλλης φασὶν εἶναι τάφον. Gergis, oppidum Troiae; oppidanus Gergithius, genere feminino Gergithia. Hinc Gergithia Sibylla, foemina fatidica, quae unacum sphinge in Gergithiorum numismate excusa est, ut Phlegon in prima Olympiade perhibet. Ferunt in Gergithii Apollinis templo Sibyllae sepulchrum esse.*

Teste igitur Phlegone sphinx in aere Gergithio ad Sibyllam spectat, cognomine Gergithiam, et ad Apollinem Gergithium, in cujus templo Sibyllae erat sepulchrum. At quaeritur, num Canarum quoque incolae aeque ac Gergithii Apollinem et Sibyllam peculiari prosecuti sint cultu? Quod ut magis in aperto sit, inquiramus necesse est, quisnam Apollo, et quae Sibylla apud Gergithios templum habuerit et cultum? nam cognomen Gergithii, Apollini et Sibyllae inditum, nonnisi ex urbe Gergitho originem traxisse, nemo non videt.

Stephanus Byzantinus, ubi Phlegonis adfert de aere Gergithio testimonium, Gergithum urbem nominat *Troicam;* Varro Gargethium appellat oppidum circa vicum *Marpessum;* Herodotus eandem urbem dicit *Troiae* ruderibus, sive Priami Pergamo vicinam [11]), et Livius refert [12]): „*Iliensibus* (decem legatos) Roeteum et Gergithium addidisse, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria".

---

10) Stephan. Byzant. *s. v. Γέργις.*

11) Herodot. *Lib. VII. cap.* 43. conf. *Lib. V. cap.* 122.

12) Livius, *Lib. XXXVIII. cap.* 39.

Gergis igitur, sive Gergithus, sive Gergithium, sive Gargethium, in cujus aere signato caput Sibyllae et sphinx exhibetur, in *Troade* [13]) sita, non longe distabat neque a *Marpesso*, neque ab *Alexandrea*, neque a *Sminthei* luco. Sibylla itaque *Gergithia* adfert nobis memoriam Sibyllae Herophiles, quae *Marpessi* nata, *Alexandreae* in Apollinis templo aeditua, et in *Sminthei* luco sepulta dicebatur; nam apud Pausaniam legimus, Herophilen ab immortali matre et homine patre sc natam dicere hisce versibus [14]):

Εἰμὶ δ'ἐγὼ γεγανῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενὴς, πατρὶς δέ μοί ἐστιν ἐρυθρὴ [15])
ΜΑΡΠΗΣΣΟΣ, μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' Ἀϊδωνεύς.

Inter utrumque sequor medium divasque hominesque,
Nympha immortali sata, cetophago genitore.
Ida meae matri patria est, mihi patria rubra
MARPESSVS, matri quae sacra, amnisque Aidoneus.

---

13) Sestinius (*Lettere numism. cont. Tom. I. pag.* 89) numulos Gergithios describens, adnotat: „*Ora siffatte medaglie appartengono senza fallo a Gergis, città della TROADE, e non della MISIA secondo Strabone, benchè egli intendesse parlare dell' istessa città*"; sed ipse alio loco, nescio quam ob causam, Gergithum *Troadis* a Gergitho *Mysiae* distinguens, numulos, hinc caput Apollinis (?) laureatum adversum, inde sphingem sedentem et epigraphen *ΓΕΡ* exhibentes, Gergitho TROADIS (*Descr. del Mus. Hederv. P. II. pag.* 135.); numulos autem, hinc bovem cornupetam, inde sphingem sedentem et literas *ΚΑ* prae se ferentes, Gergitho MYSIAE (*loc. cit. pag.* 100) adjudicavit. Perdoctus Antiquarius recte quidem geminas distinguit urbes ejusdem nominis; nam altera Gergithus in TROADE, altera in AEOLIDE sita fuit; at vero Gergithus, quam Strabo in MYSIAE urbibus numerat, est eadem ac Gergithus TROADIS.

14) Pausan. *Phoc. cap.* 12, 1.

15) *Μάρπησσος* hoc loco cognominatur *ἐρυθρή*; quod notatu dignum mihi videtur idcirco, quia Sibylla ipsa cognominatur *Ἐρυθραία*. — *Μέρμησσος (Μάρπησσος) πόλις Τρωϊκὴ, ἀφ' ἧς ἡ Ἐρυθραία Σ.βύλλα, Steph. Byz.* — *Ἐρυθραῖοι δὲ ἀμφισβητοῦσι τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων. Pausan. Phoc. cap.* 12.

Et paullopost: *Τὴν δὲ Ἡροφίλην οἱ ἐν τῇ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ ταυτὴν νεωκόρον τε τοῦ Ἀπόλλωνος γένεσθαι τοῦ Σμινθέως. — Τὸ μέντοι χρεὼν αὐτὴν ἐπέλαβεν ἐν τῇ Τρῳάδι· καί οἱ τὸ μνῆμα ἐν τῷ ἄλσει τοῦ ΣΜΙΝΘΕΩΣ ἐστίν. Et Herophilen quidem, qui ALEXANDREAE degunt, Apollinis aiunt Sminthei fuisse aedituam. — Mors ei in Troade contigit; ejus est sepulchrum in SMINTHEI luco.* — Lactantius eandem nominat *HELLESPONTICAM, in agro Troiano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium.*

Sibylla igitur Gergithia eadem est ac Herophile, quae vel a variis Troadis locis modo Gergithia, modo Marpessia, modo Troica, vel a tota provincia Hellespontica cognominabatur. Pari modo Apollo Gergithius est idem ac Apollo Alexandreae adoratus. Hinc *sphinx* in aere Gergithio non tam ad Sibyllam Gergithiam, in Apollinis Gergithii templo sepultam, quam ad Sibyllam spectat, quae unacum Apolline per totum *Troadis* tractum cultum habuit et templum.

Quae cum ita sint, jam quaeritur, num Canarum quoque incolae, in quorum pecunia eadem, ac in aere Gergithio, exhibetur sphinx alata, Apollinem, in *Troade* cultum, peculiari prosecuti sint veneratione.

Qui in Troade, idem Apollo et in ditione *Adramyttena*, nominatim Thebis, Cillae et Chrysae [16]), templum habuit et cultum, teste Strabone, referente [17]): *Πλησίον τῆς Θήβης ἐστὶ νῦν Κίλλα τις*

---

16) Cl. Mannertus (*Geogr. Tom. VI. Vol. III. pag.* 430.) Chrysam prope Hamaxitum Troadis sitam fuisse affirmans, alteram in Thebes campo extitisse negat; at vero Strabo multis argumentis in Thebes campo Chrysam esse quaerendam probare studet (Lib. XIII.); et sane, quid impedit, quominus duas urbes ejusdem nominis, alteram in Troade, alteram in ditione Adramyttena extitisse censeamus?

17) Strabo, *Lib. XIII. pag.* 612. *Tom. V. pag.* 400 *seq. Tasch.*

τόπος λεγόμενος, ἐν ᾧ Κιλλαίου Ἀπόλλωνός ἐστιν ἱερόν. Καὶ ἐν Χρύσῃ δὲ λέγουσι Κίλλαιον Ἀπόλλωνος ἱδρύσθαι· ἄδηλον εἴτε τὸν αὐτὸν τῷ Σμινθεῖ, εἶθ' ἕτερον. Ἡ δὲ Χρύσα ἐπὶ θαλάττῃ πολίχνιον ἦν, ἔχον λιμένα· πλήσιον δὲ ὑπέρκειται ἡ Θήβη· ἐνταῦθα δὲ ἦν καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Σμινθέως Ἀπόλλωνος. Cilla, Thebis vicina, locus est, in quo Apollinis Cillaei est fanum. Chrysae quoque Cillaeum Apollinem dedicatum fuisse ferunt; idemne sit cum Smintheo, an alius ab eo, incertum. Chrysa oppidulum fuit ad mare situm, portum habens; paulo supra jacet Thebe; ibi erat Sminthei delubrum Apollinis.

Qui in Troade, idem Apollo in agro quoque *Cumaeo* colebatur; nam in utraque provincia eadem reperiuntur urbium nomina, nimirum quemadmodum in Troade prope Hamaxitum, in Aeolide quoque prope Cymen oppida extiterunt *Larissa* et *Gergithus*. Larissa Aeolica cognomine *Φρικωνίδος* [18]) vel *Αἰγυπτίας* [19]) ab altera Troadis distinguitur; Gergis autem, in agro Cumaeo sita, ipsa metropolis erat Gergithi Troadis, teste Strabone, tradente [20]): *Ἐν δὲ τῇ Λαμψακηνῇ τόπος εὐάμπελος Γεργίθιον· ἦν δὲ καὶ πόλις Γέργιθα, ἐκ τῶν ἐν τῇ Κυμαίᾳ Γεργίθων· ἦν γὰρ κἀκεῖ πόλις πληθυντικῶς καὶ θηλυκῶς λεγομένη αἱ Γέργιθες· καὶ νῦν ἔτι δείκνυται τόπος ἐν τῇ Κυμαίᾳ Γεργίθιον πρὸς Λαρίσσῃ. In agro Lampsaceno vicus est vitibus bene consitus, nomine Gergithium. Fuit et urbs Gergitha, a Gergithiis in agro CVMANO; nam et ibi fuit urbs plurali numero ac feminino genere dicta Gergithes; atque etiamnum in Cumano solo monstratur Gergithium ad Larissam.* — Si

---

18) Strabo, *Lib. IX. pag.* 440. *Tom. III. pag.* 650. *Tzsch.*

19) Xenophon, *Lib. III. rer. graec.*

20) Strab. *Lib. XIII. pag.* 589. *Tom. V. pag.* 291. *Tzsch.*

21) Huc et oppida *Grynium* et *Myrina*, Cymen inter et Canam sita, referenda esse videntur. Magnam Apollinis apud Myrinaeos religionem numismata testantur.

vero, quae in Troade, eadem reperiuntur in agro Cumaeo urbium nomina; si haec oppida insuper tam arctum habent inter se nexum, ut Gergithus Aeolica Gergithi Troicae nominetur metropolis; sane Apollinem in agro quoque Cumaeo eundem ac in Troade habuisse cultum, extra omnem fere dubitationis aleam positum est.

Quodsi vero tam in ditione Adramyttena, quam in agro Cumaeo idem, ac in Troade, colebatur Apollo, Canarum quoque incolas eundem Apollinem peculiari prosecutos esse veneratione, sin affirmari, non sine gravi causa conjici tamen potest idcirco, quia Canae urbs ditionem Adramyttenam inter et agrum Cumaeum sita erat. Itaque sphinx, quemadmodum in pecunia Gergithia, in Canarum quoque aere signato ad Apollinem et Sibyllam, ejus aedituam, referri potest.

Bos igitur cornupeta in numulis nostris ad metropolin Dium Euboeae est referendus, sphinx autem ad Apollinem, in Troade peculiariter cultum, et ad Sibyllam, a variis locis modo Gergithiam, modo Marpessiam cognominatam, ita ut Canaei patriae, tam antiquitus relictae, quam recenter occupatae, gloriam in pecunia sua manifestent.

CYME.

Vespasianus.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΒΑΣΠΑΣΙΑΝΟΝ (sic) Caput Vespasiani laureatum ad d.

ΑΝΘΥ. ΕΠΡΙΩ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ. ΤΟ. Γ. ΚΥ. Mulier succincta, cum modio in capite, ad sin. stans, dextera globum, sinistra tridentem tenet. *Tab. III. fig.* 8 . . . . . AE. 4.

Clar. Cousinéryus in parte antica *ΒΑΣΠΑΣΙΑΝΟΝ* loco minus accurate legit *ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΝ*[1]). Quod ad partis posticae epigraphen adtinet et typum, primo investigandum est, qua in urbe numisma sit cusum, dein, quae figura sit exhibita, postremo, quam provinciam Eprius Marcellus proconsule rexerit?

Seguinus, Vaillantius, Harduinus, Begerus, Havercampius unanimi consensu hos numos propter additum *ΚΥ* in *Cypro* signatos censent, quin idoneam aliam causam possint afferre. At vero Eckhelius eos *Cymaeis* Aeolidis esse vindicandos docuit. *Nullus*, inquit[2]), *hactenus repertus Cypri numus, in quo ejus nomen solis literis ΚΥ definiretur, at his solis saepe contenti fuere Cymaei. Neque vocabula ΘΕΟΝ ϹΥΝΚΛΗΤΟΝ Cypriis favent: etsi enim Cyprus fuit senatus populique provincia, tamen senatus romani mentionem, obviam in numis provinciae Asiae atque Cumaeorum, vix in Cypri et finitimi tractus moneta reperias.* Quam Eckhelii sententiam illustre confirmant alia numismata, eandem, ac nostrum, prae se ferentia figuram succinctam et *ΚΥΜΑΙΩΝ* inscripta[3]).

De *figura* succincta Eruditi in varias distrahuntur sententias. Vaillantius habet[4]): *Figura succincta stans, dextera* vexillum *tenens;* figurae autem significationem silentio praeterit.

Harduinus, legens: *ΑΝΘΥπατῳ ΕΠΙΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΤΟ Γ ΚΥπριοι* subintellige *ΑΝΕΘΗΚΕΝ*, *Proconsuli Eprio Marcello*

---

1) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 10 *no.* 64.

2) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 493.

3) Mionnet, *Descr. Tom. III. pag.* 10 *no.* 63. *pag.* 13 *n.* 77.
Sestini, *Descr. del Mus. Hederv. Tom. II. pag.* 143 *no.* 16. *pag.* 144 *n.* 17.

4) Vaillant, *Numism. graec. Imp. Vespas. pag.* 20.

tertium Cyprii posuere, figuram succinctam, dextera *pateram*, sinistra *hastam* gestantem, Eprii statuam repraesentare, a Cypriis positam, affirmavit [5]).

Seguinus [6]), *eandem* figuram describens ceu dextera *pomum*, sinistra *hastam* gestantem, adnotat: „*quamvis figura illa appareat virilis, militari habitu et vestitu, sinistra hastam gerens; nihilominus* Veneri *tribuenda videtur, quae ἐνόπλιος, hoc est, armata, colebatur a Lacedaemoniis aliisque populis, et mascula dicebatur*".

Begerus [7]), qui primus cognovit, figuram stantem neque *hastam*, neque *vexillum*, at vero *tridentem* tenere, recte quidem in his numis Venerem Cypriam exhiberi negat; figura enim imberbis est, Venerem autem in Cypro specie viri barbati cultam Hesychius tradit; ipse autem dubius haeret, utrum Imperator quidam, an Eprius, an Senatus, an Roma, an Romana denique Virtus exhibeatur.

Eckhelius hujus typi significationem silentio praeterit; Sestinius denique figuram controversam nominat *Imperatorem* paludatum, dextera globum, sinistra tridentem gestantem, pro qua sententia nullum adfert argumentum [8]).

Equidem sub hac figura succincta, cum modio in capite, globum dextera sinistraque tridentem gestante, *Amazonem* Cymen ceu *genium* urbis exhiberi, nullus dubito.

Genios urbium in antiquis monumentis turrim, aut modium sive

---

5) Harduin, *Oper. select. pag.* 89.

6) Seguin, *Numism. select. pag.* 103.

7) Beger, *Thesaur. Brandenb. Tom. I. pag.* 408.

8) Sestini, *Descr. del Mus. Hedervar. Tom. II. pag.* 143 *nro.* 16 *et* 17. *Tab. XVIII. fig.* 8.

calathum capite gestare, neminem fugit; globus autem, quem genius Cymes dextera, et tridens, quem sinistra tenet, ad imperium spectant a Cymaeis terra marique exhibitum. Quare Cyme urbs et in basi marmorea colossi, quem Asiae civitates, terrae motu concussae, Tiberio erexerunt, repraesentata est ceu mulier cum modio in capite, dextera globum sustinens. (Manus sinistra, quae procul dubio tridentem tenuit, praefracta est.)

Genius autem urbis in numismate nostro, me quidem judice, sub *Amazonis* figura exhibetur; Amazones enim non tantum habitu succincto, sed etiam in numis Phrygiae, Aeolidis, Joniae et Lydiae ceu genii urbium fingi solent. Cyme autem urbs a Cyme Amazone nomen tulit, teste Stephano Byzantino, referente[9]): *Κύμη, πόλις Αἰολίδος πρὸ τῆς Λέσβου, ἀπὸ Κύμης Ἀμαζόνος· ἐκαλεῖτο δὲ Ἀμαζόνιον.* Pari modo Pomponius Mela habet[10]): *Sequentem (urbem) Pelops statuit, victo Oenomao reversus ex Graecia. Cymen nominavit, pulsis qui habitarant, dux Amazonum Cyme.*

Reliquum est investigare, qua in provincia Eprius Marcellus proconsule rexerit; nam in hoc numismate ipse appellatur ***ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΤΟ Γ.*** Auctore Tacito[11]) Eprius Marcellus imperante Nerone praefuit Lyciis, a quibus repetundarum accusatus evasit tamen; at vero eundem et Aeolidem, ubi numisma nostrum cusum est, proconsule rexisse, ex veteribus scriptoribus compertum non habemus. Hanc molestam dubitationem epigraphe dissolvit, in Museo Borbonico ad-

---

9) Stephan. Byx. *s. v. Κύμη.*

10) Pomp. Mela, *Lib. I. cap.* 18.

11) Tacit. *Annal. Lib. XIII.* 33.

servata, et a cl. Avellino nuper edita eruditeque illustrata. Ibi legimus [12]):

T. CLODIO. M. F. FAL.
EPRIO. MARCELLO
COS. II. AVGVRI
CVRIONI. MAXIMO
SODALI. AVGVSTALI
PR. PER. PROCOS.
ASIAE. III.
PROVINCIA. CYPROS.

Eprius igitur Marcellus, Consul II., augur, curio maximus, sodalis augustalis et praetor peregrinus, teste hac inscriptione, erat PROCOS. ASIAE. III. Provincia autem Asiae proconsularis Phrygiam, Mysiam, Troadem, Aeolidem, Joniam et Cariam continuit; igitur Cyme quoque Aeolica Eprii Marcelli imperio erat subjecta, et hunc in modum Eckhelii sententia, hos numulos non ad Cyprum, sed a Cymen Aeolidis pertinere, inscriptione, modo citata, egregie comprobatur.

---

12) Avellino, *Osservazioni sopra una epigrafe del R. Mus. Borbon., nella quale si fa menzione di Eprio Marcello. Napoli*, 1831 4to *pag.* 18.

IONIA.

COLOPHON.

Trajanus.

AT. KAI. ΘEOT. TΩ. (sic) *NEP. TPAIANOC. CE. ΓEPMA.* Caput Traiani laureatum ad d.

KΛAPIOC. KOΛOΦΩNI. Apollo seminudus, capite radiato, ad sinistram sedens, dextra extenta lauri ramum et sigillum Dianae Clariae sustinet; sinistra lyrae, sellae impositae, innititur; ante tripus. *Tab. III. fig.* 9 . . . . . AE. 8.

Maximinus.

ATT. K. Γ. I. OTH. MAΞIMEINOC. Caput laureatum cum paludamento ad. d.

EΠ. CT. Γ. I. OTH. MAΞIMOT. KAI. KOΛOΦΩNIΩN. Apollo seminudus ad sinistram sedens; dextera extenta lauri ramum sustinet, sinistra lyrae, sellae impositae, innititur; coram eo Diana stolata stans cum pharetra in dorso, sinistra demissa, dextera facem tenens oblongam; pone eum Nemesis stat, dextera ori admota, sinistra bacillum gestans. *Tab. III. fig.* 10 . . AE. 10.

Juxta Colophonem Apollinis Clarii erat fanum, cujus oraculum ex tota retro antiquitate longe celeberrimum praedicabatur [1]). Teste Pausania [2]) Manto, Tiresiae filia, oraculi Delphici jussu, coloniam ibi condidit; alii autem oraculum a Claro, Alois filio, heroicae aetatis homine, institutum esse tradunt; alii inde ei nomen inditum affirmant, quod Apollini Clarus vicus sorte (*κλήρῳ*) obtigit [3]), id quod proxime ad veritatem accedere videtur; nam Dores terram, recenter vel occupatam vel conditam, sorte inter se dividere solebant, ita ut unusquisque eorum, qui coloniae ducem secuti essent, partem quandam acciperet. In specu lacuna fuit, cujus potu mira reddebantur oracula, bibentium breviori vita [4]). Clarus diu auctoritatem suam retinuit; nam et Germanicus relegit Asiam, adpulitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur [5]).

Numismata nostra hujus Apollinis Clarii simulacrum exhibent. Diana, cujus imaginem Apollo sedens in moneta Trajani simul cum lauri ramo dextera sustinet, non Diana Ephesia, sed Claria mihi videtur; nam in numis Domitiani eadem objicitur Diana *πολύμαστος* cum epigraphe *APTЄMIC KΛAPIOC* [6]). Hoc autem Dianae Clariae sigillum in dextera Apollinis non nisi accessorium esse typum, alia

---

1) Strabo, *Lib. XIV. cap.* 1 §. 27.

2) Pausan. *Lib. VII. cap.* 3, 1. Confer quod habet Müllerus (*Dorier, I. pag.* 226) loquens de Rhacio (rauco) et Brancho (pannoso), hoc sacri Didymaei, illo sacri Clarii fundatore,

3) Pausan, (*Lib. VIII. cap.* 53) de Jove, apud Tegeatos culto, cognomine Clario, verba faciens, addit: *Cognomen manifesto a sortitione Arcadis filiorum ductum est,— τοῦ κλήρου τῶν παίδων εἵνεκα τῶν Ἀρκάδος.*

4) Plinius, *Histor. nat. Lib. II. cap.* 103.

5) Tacit. *Annal Lib. II. cap.* 54.

6) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 77 *nro*, 120 *et* 121.

probant numismata, in quibus Apollo dextera extenta, Dianae simulacro neglecto, lauri tantum ramum tenet. Lauri ramum, qui apud antiquos vatem ipsum indicabat, Apollinis Clarii esse proprium, docet Virgilius, canens [7]):

> Trojugena interpres divûm, qui numina Phoebi,
> Qui tripodes, CLARII LAVROS, qui sidera sentis.

Quin et Manto ipsa, oraculi fundatrix, Daphne (laurus) nominabatur.

In numismate Trajani Mionnetus, Cousinéryum secutus, *ΘΕΟΥ ΤΩ* loco minus accurate legit [8]) *ΘΕΟΥ ΤΙ.* — Epigraphen partis posticae, in numismate Maximini, quam Cousinéryus legit [9]): *ЄΠ. CT. Γ. I. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟ* (sic) *MAXI* (sic), Sestinius recte correxit [10]): *ЄΠ. CT. Γ. I. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟΥ* (sic) *ΚΑΙσαρος* (sic); sed typum ipse minus accurate descripsit his verbis:

> *Apollo seminudus ad sin. sedens, dexteram jungit (?) cum sinistra (?) Dianae venatricis (?), coram eo stantis; ex sinistra dexteram (?) stringit mulieris seminudae (?) retro stantis et bacillum gerentis.*

Diana adstans, quae, quia stolata et taedam oblongam tenens, venatrix nominari non potest, *sinistra* tenet facem oblongam, mulier vero retro stans et bacillum gestans est Nemesis, quae *dexteram* ori admovet; ergo neque haec dexteram, neque illa sinistram cum Apolline conjungere potest, qui insuper ipse dextera lauri ramum tenet, et sinistram lyrae imponit.

---

7) Virgil. *Aeneid. Lib. III.*

8) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 77 *no.* 122.

9) Mionnet, *loc. cit. pag.* 80 *nro.* 133.

10) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VIII. pag.* 56.

Consimile numisma, cum capite Gordiani, in opere „*Numismata aerea selectiora maximi moduli e Museo Pisano olim Corrario*“ reperio depictum, sed minus accurate tali modo [11]):

Apollo seminudus sedens, sinistra lyram tenet, sellae impositam; dexteram jungit (?) cum Pallade (?) coram eo stante et sinistra hastam (?) tenente; pone mulier stat, dextera demissa (?), sinistra bacillum gestans.

Procul dubio in hoc quoque numismate, sicut in nostro, Diana exhibetur taedifera et Nemesis dexteram ori admovens. Idem valet de tertio quodam Caracallae numismate in Museo Hedervario adservato, in quo Sestinius Nemesis loco mulierem prae oculis ponit, dextera *bilancem* (?), sinistra bacillum gestantem [12]).

Superesset porro, ut typi significationem, atque peculiariter Nemesis ad Apollinem relationem illustrarem, sed liceat mihi rem paucis expedire. Nemesis saepe quidem cum Apolline conjungitur, sive quia, ut Macrobius credit [13]), solis significat potestatem, sive quia Helenam habet matrem et Ledam nutricem [14]); at in numis imperatoriis numina, quorum significatio interior et notio principalis non cohaerent, frequenter conjunguntur.

---

11) Mus. Pisan. *Tab. LIV. fig.* 2.

12) Sestini, *Piu Musei, Tom. II. Add. Tab. IV. fig.* 3.

13) Macrob. *Saturn. Lib. I. cap.* 22.

14) Pausan, *Lib. I. cap.* 33, 7. conf. Welker in: *Annales de corresp. archéol. Tom. II. pag.* 65.

EPHESVS.

Gallienus.

1. *ΑΥΤ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΓΑΛΛ...* Caput Gallieni laureatum cum paludamento ad d.
   ΕΦΕΣΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vir nudus (Meleager) ad d. gradiens, sinistra hastam super humero, dextera demissa spolia apri sustinet; pone arbor. *Tab. III. fig.* 11 . . . . . AE. 7.

2. *ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚΙΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΣ.* Caput Gallieni ut supra.
   ΕΦΕΣΙΩΝ. Γ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Ortygia ad dextram gradiens, dextera Apollinis, sinistra Dianae sigillum sustinet; in area astrum. *Tab. III. fig.* 12 . . AE. 7.

In numo priori habemus Meleagrum, haud infrequentem in Ephesi pecunia typum. Ipse apri tenet spolia, quem Diana

— Oeneos ultorem spreta per agros
Misit (aprum), quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus, sed habent Sicula arva minores [1])

Sestinius Meleagri loco videns Dianam, partis posticae typum his describit verbis [2]): *Diana nuda* (?), *capite galeato* (?), *supra sin. humerum spiculum, et spolia apri sinistra tenet, dextera cly-*

---

1) Ovid. *Metam. Lib. VIII. vers.* 282.

2) Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 333 *nro.* 79.

peum (?), *pone arbor.* Dianam galeatam et clypeum gestantem, ceterum nudam, vix in ullo invenies antiquo monumento. Sestiniius folium arboris, quod pone caput Meleagri conspicitur, pro galeae crista sumsisse videtur.

Typum numi secundi cl. Neumannus ita describit [3]): „*LATONA gradiens et respiciens una manu portat infantem Apollinem, altera Dianam, gemellos suos, propter quos Δίδυματοκος cognominabatur. Eodem modo habituque ea dea cum prolibus suis procedit duobus in numis Tripolitarum Cariae, apud quos magna ejus religio et certamina instituta ΛΗΤΩΙΑ, nonnullis inscripta Tripolitarum numis*".

Ego quidem de *Latona* non dubitarem, nisi Strabo figuram, monetae nostrae inscriptam, expressis verbis *Ortygiam*, Apollinis et Dianae nutricem, nominare videretur. De Epheso et vicina Ortygia verba faciens, Strabo tradit [4]): *Ὄντων δ' ἐν τῷ τόπῳ πλειόνων ναῶν, τῶν μὲν ἀρχαίων, τῶν δ' ὕστερον γενομένων, ἐν μὲν τοῖς ἀρχαίοις ἀρχαῖά ἐστι ξόανα, ἐν δὲ τοῖς ὕστερον σκολιὰ ἔργα· ἡ μὲν Λητὼ, σκῆπτρον ἔχουσα, ἡ δ' Ὀρτυγία παρέστηκεν, ἑκατέρᾳ τῇ χειρὶ παιδίον ἔχουσα. Cum autem plura sint ibi templa, antiqua alia, alia recentia; in antiquis vetusta sunt simulacra, in novis σκολιὰ ἔργα; Latona sceptrum tenens et adstans ORTYGIA* utraque manu infantem gestans. Nonne ex hoc Strabonis loco certiores reddimur, mulierem, quae utraque manu infantem sustinet, in pecunia Ephesia non Latonam, sed Ortygiam esse nominandam?

Quod si non fallit, nimirum si in pecunia Ephesia Ortygiam ha-

---

3) Neumann, *Numi vet. ined. Par. II. pag.* 37.

4) Strabo, *Lib. XIV. pag.* 532. *Tzsch.*

bemus, a Strabone descriptam, numisma nostrum tam pro historia artis, quam pro philologia maximi est ponderis; Strabo enim hanc Ortygiam inter *σκολιὰ ἔργα* numerat, in quibus explicandis magnopere laborant viri docti. Tyrwhitus in Strab. substituit *Σκόπα ἔργα*, recte enim ab operibus antiquis distingui opera Scopae, qui inter summos aevi Alexandrei artifices floruerit. Eandem sententiam Uhdenus et Jacobs [5]) sequuntur, qui sive *Σκόπα ἔργα* sive *Σκοπάδεια ἔργα* corrigendum esse censent. *Σκολιά* tamen tuentur omnes libri, atque re vera, etsi Pausanias multa hujus artificis opera in Jonia noverit [6]), tamen non alia quam Scopae opera in templis recentioribus, a Strabone citatis, extitisse, verisimilitudinem excedit. Itaque lectio *σκολιὰ ἔργα* retinenda videtur. At quid significat vox *σκολιός*. In versione latina legimus *opera prava*; pari modo Lessingius [7]) et Penzelius vertunt „*opera prava et stili corrupti.*“ Magis mihi adridet Winckelmanni sententia, qui vertens „*verdreht*“ opera intelligit, quae, animi et corporis tranquillitate neglecta, quoad positionem et motum, justum excedunt modum [8]); quam sententiam nostra figura illustre confirmat.

Quidquid sit; si numisma nostrum copiam prae se fert Ortygiae controversae, aut Ortygiam habemus, a Scopa fictam, aut inter *σκολιὰ ἔργα* numerandae sunt figurae, sicuti nostra Ortygia, vehementer gradientes et vestimento indutae multum plicato.

---

5) Boettigeri, *Amalthea.*

6) Pausan, *Lib. VIII. cap.* 45, 4.

7) Lessings *Werke*, *Tom. X. pag.* 235.

8) Winckelmanns *Werke*, *Tom. III. pag.* 20.

SMYRNA.

Commodus.

1. ***AT. KAI. M. ATP. KOMMOΔOC.*** Caput Commodi imberbe laureatum cum paludamento ad. d.

CTPA. M. CЄΛΛIOT. OMO. CMTP. NЄIKOM. Mater Sipylene ad sin. sedens, dextra extenta pateram tenet, sinistra tympano imposita; ex adverso stat Ceres, sinistra elata taedam tenens oblongam accensam, dextra demissa spicas. *Tab. IV. fig.* 1 . . . . . AE. 9.

2. ***..AI. A. ATP. KOMMOΔOC.*** Caput Commodi ut supra.

CTP. M. CЄΛΛIOT. CMTPNAIΩ. OMO. NЄIKOM. Imperator paludatus et capite radiato ad d. stans in bigis triumphalibus, sinistra elata taedam oblongam accensam, dextra extenta acrostolium tenet; in area ***KOMOΔΩ.*** *Tab. IV. fig.* 2 . . . . . AE. 8.

Numum priorem descripsi, ut posterioris typus magis in aperto sit. — Numus posterior insigne exemplum est adulationis, qua Graeci, et inprimis urbes Asiae minoris Romanorum imperatores prosecuti sunt.

In parte postica Imperatorem Commodum sub figura divina fictum esse, jam Havercampius cognovit. *Depingitur*, inquit [1]),

---

1) Havercamp, *Mus. Regin. Christin. pag.* 451. *Tab. LXII. fig.* 33.

Sol in citis bigis, capite radiato, dextera tenens habenas, laeva facem ardentem. Exornata vero Solis figura imperatoriis est vestimentis, dependente a tergo paludamento; ipse enim Commodus illa figura adumbratur".

Havercampius igitur Commodum in hoc numismate ceu deum repraesentatum esse censet. Quam sententiam equidem subscribere nullus dubito; at vero si vir perdoctus Imperatorem ceu *Solem* fictum esse affirmat, ei adsentire non possum; nam etsi concesserimus, taedam accensam aeque ac radios, caput circumdantes, Soli competere; acrostolium tamen, quod Commodus unacum habenis dextera sustinet, marinorum quidem deorum, non vero Solis esse proprium, nemo est, qui nesciat. Havercampius igitur, cum de acrostolio nullam faciat mentionem, exemplar minus conservatum prae oculis habuisse videtur [2]).

Smyrnaei, Commodum fingentes radiatum, cum acrostolio et face oblonga ardente [3]), in adulando se ipsos superasse videntur [4]). In numismate priori, concordiam profitente Nicomediam inter et Smyrnam, Ceres exhibetur cum taeda oblonga ardente, ut Nicomediae [5]),

---

2) Havercampius et minus accurate legit: *AM* (?) *CEΛΛOT* (?) *ATPHAIΩ* (?) *MHτροπολις* (?) *NIKOM;* quod aperte sicut in nostro numismate legendum erat *CTPA. M. CEΛΛIOT. CMTPNAIΩ. OMO. NEIKOM.*

3) Mionnetus (*Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 236 *no.* 1329) minus accurate habet: „*L'empereur etc. tenant un trident dans la gauche*"; nam Imperator non tridentem, sed taedam tenet accensam.

4) Smyrnaei jam anno 559 V. C. Romam *Deam* fecerant; aiunt nimirum apud Tacitum (*Annal. lib. IV. cap.* 56): „*se primos templum urbis Romae statuisse M. Portio Consule, magnis quidem jam Romani populi rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus*".

5) In numismate quodam, a Nicomedensibus in Antonini pii honorem signato (Sestini, *Descr. num. vet. pag.* 264) Ceres expressis verbis Nicomediae appellator

et mater Sipylene, ut Smyrnae tutrix. In hoc numismate, eandem prae se ferente concordiam inter Nicomediam et Smyrnam, Commodus ipse fingitur, ut divinus ambarum urbium protector. Ceu protector Smyrnae maritimae ipse, ut alter Neptunus, caput habet radiatum [6]) et acrostolium; ceu protector autem Nicomediae taedam tenet accensam, sicuti Ceres Nicomedensis. Commodus igitur in numismate nostro, ut Smyrnaeorum et Nicomedensium numen terra marique tutelare, tam Neptuni, quam Cereris signa diacritica prae se fert. En, abjectissimum adulandi genus!

At Graecis persuasum esse poterat, Commodum hac adulatione nullo pacto ad iram provocatum iri; nam mox ipse eo insaniae delapsus est, ut non tantum Amazonium, invictum, felicem, pium, excuperatorium se nominaret, sed etiam, abjecta laurea, exuvias leonis capiti imponeret, et in moneta Herculem publice se profiteretur.

Julia Domna.

IOΥΛΙΑ CЄBACΤΗ. Caput Juliae Domnae ad d.

CMΥΡΝΑΙΩΝ. Bacchus seminudus scopulo insidens et reclinatus, dextera capiti imposita, sustinetur a muliere pone sedente et pedes subsellio imponente; in area hinc statua Bacchi barbati et togati cum thyrso et diota, inde thyrsus lemniscatus. *Tab. IV. fig.* 3 . . AE. $4\frac{1}{2}$.

Hoc numisma, quamvis jam editum, (sed cl. Sestinius [1]) Bac-

---

protectrix; nam ibi prope Cereris effigiem epigraphe est: *ΔΗΜΗΤηρ ΝΕΙΚΟμηδία.*

6) Pari modo Ptolemaeus VIII., Soter II., cognomine *Λάθουρος* sive *Λάθυρος*, in numis fingitur cum tridente et capite radiato. Visconti, *Iconogr. grecq. Tom. III. Tab. XIV. fig.* 7 *et* 8.

1) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VIII. pag.* 60. *Tab. II. fig.* 4.

chi juvenilis loco vidit Silenum barbatum,) ob raritatem et insolitum typum ut iterum describatur et delineetur, dignum mihi visum est.

Thyrsus in area numismatis Bacchicum indicat typum. Habemus Bacchum juvenem, cui mulier sedens blanditur. Tales repraesentationes in gemmis quidem, urnis depictis et caelaturis frequenter, in numis autem raro objiciuntur. Smyrna unica forsitan est urbs, quae hunc in pecunia sua signavit typum; nam huc et numus Commodi referri debet, iisdem inscriptus figuris, sed ex Museo Theupoli minus accurate vulgatus his verbis [2]):

Λ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Commodi nudum.
..ΠΟ. ΑΙΛ. ΑΡΙΖΗΛ.. ΣΜΥΡΝΑΙ. Mulier (?) seminuda sedens, quam alia sustinet; in area altera mulier (?) stans, dextra vas, sinistra hastam (?) tenens.

Quas nostrum numisma, easdem fere figuras et gemma exhibet Musei I. R. Vindobonensis, ab erudito Eckhelio vulgata [3]), hoc solo discrimine, quod in gemma *Priapus*, talari veste indutus, cum diota et thyrso conspiciatur *pone* Bacchum juvenilem sedentem; in numismate autem *Bacchus* barbatus vel Indicus, talari veste indutus cum diota et thyrso, aream occupet *juxta* Bacchum juvenilem sedentem.

Quaeritur jam, quae sit mulier Baccho blandiens? Eckhelius in gemma, modo citata, cognovit Bacchum et *Ariadnen*, ejus Sponsam. Numisma nostrum, si scopulum, cui Bacchus insidet, ad Naxum insulam, in qua deus, ex India redux, Minois filiam, a Theseo relictam, invenit, referre tibi placet, hanc Eckhelii sententiam confirmat; sed his in rebus vix ac ne vix quidem certum aliquid

---

2) Mus. Theupol. *Numism. pag.* 929.

3) Eckhel, *Choix de pierres gravées. Tab. XXIII.*

statui potest; nam quod ad scopulum adtinet, nimis argutum mihi videtur, eum ad Naxum insulam referre, idque eo magis, cum Bacchus in gemma, modo citata, numo ceteroquin haud absimili, non scopulo, sed sellae insideat; tum nemo nescit, repraesentationes Bacchicas esse tam varias earumque sensum adeo multiplicem, ut singulae figurae non nisi difficillime dignosci queant; nam quid impedit, quominus mulierem, Baccho blandientem, non Ariadnen, ejus sponsam, sed *Nysam*, ejus nutricem, nominemus?

Sed nihilominus, comparatione instituta, facile adducor, ut tam in numismate nostro, quam in gemma Musei Vindobonensis *Semelen*, Bacchi matrem, exhiberi verisimillimum mihi videatur.

Hanc sententiam, ni fallor, evincit speculum, ut dicunt etruscum, nuper a cl. Gerhardo vulgatum eruditeque illustratum[4]), in quo eadem, ac in numismate nostro, objicitur repraesentatio, nimirum: Juvenis nudus (Bacchus) stans et reclinatus, manibus elatis mulierem, retro stantem et versus eum inclinatam et insuper thyrsum tenentem, amplectens. Ex adverso stat Apollo seminudus, lauri ramum tenens, pro cujus pedibus Satyrus puer sedens binas tibias inflat.

Quam repraesentationem, speculo inscalptam, si cum typo comparaverimus, quem numisma nostrum prae se fert, utrumque eandem exhibere fabulam non agnosci non potest; nam quae in numismate, eaedem et in speculo conspiciuntur figurae, nimirum: juvenis, reclinatus elatis manibus, atque mulier, versus juvenem inclinata et ei blandiens, hoc solo discrimine, quod ambae figurae in gemma et numismate exhibeantur sedentes, in speculo autem stantes. Nomina adscripta, in speculo Bacchum et Semelen exhiberi nos docent; quare a veritate non aberrabimus affirmantes, mulierem, Baccho blandientem et in numismate nostro Semelen esse nominandam.

---

4) Gerhard, *Dionysos und Semele. Berlin* 1833. 4to.

C A R I A.

APHRODISIAS et PLARASA.

Protome Dianae cum pharetra in dorso ad d.

$\frac{\Pi\Lambda}{A\Phi}$ Fulmen alatum; omnia in quadrato incuso. *Tab. IV.*

fig. 6 . . . . . AE 2.

In aliis numis legitur *ΠΛΑΡ. ΑΦΡΟ.*, vel *ΠΛΑΡΑ. ΑΦΡΟΔΙ.*, vel *ΠΛΑΡΑΣΕΩΝ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ* [1]), itaque nostrum quoque numulum, *ΠΛ. ΑΦ.* inscriptum, ad Aphrodisienses et Plarasenses pertinere, nullo modo dubitari potest.

Ex geographis unus Stephanus Plarasae meminit, eamque in Caria statuit. Verum utriusque etiam fit mentio in epistola M. Antonii IIIviri, et in psephismate senatus Romani apud Chishull, quo decernitur, ut templum Veneris, quod est in urbe *ΠΛΑΡΑΣΕΩΝ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ*, eo jure sit sacrum, quo Dianae apud Ephesum [2]).

Mionnetus numulum nostrum ex Catalogo Cousinéryano minus accurate vulgans his verbis [3]):

---

1) Sestini, *Lettere num. cont. Tom. V. pag.* 43 *et* 44.
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 321.

2) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 575.

3) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 305 *no.* 9.

Tête de Diane.

ΑΛΑ. Foudre ailé dans une aire carrée creuse;

atque Sestinius eundem ex Museo Regis Bavariae false describens hunc in modum [4]):

Caput Dianae.

$\frac{ΑΛ}{ΑΒ}$ *Fulmen alatum; omnia intra quadratum incusum;*

hunc numulum *Alabandae* Cariae adtribuerunt.

HALICARNASSVS.

Caracalla et Geta.

ΑΥ. ΚΑΙ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Κ. Π . . . ΓЄΤΑϹ . C. Capita Caracallae et Getae laureata cum paludamento adversa.

ΑΛΙΚΑΡΝΑϹϹЄΩΝ. Κ. ΚΩΩΝ. ΟΜΟΝ. ΑΡΧ. ЄΤΦΡΑΝΤΑΚΟΥ. Γ. Jupiter Dodonaeus capite radiato ex adverso stans, manibus demissis vestimentum plicatum sublevans, inter duas arbores, quarum singulis columba insidet; ex adverso Juno diademata, dextera pateram, sinistra sceptrum oblongum tenens, stat in curru, a duobus pavonibus tracto. *Tab. IV. fig.* 4 . . AE. 11.

Hoc perrarum numisma notatu dignum est ob figuram barbatam inter duas arbores consistentem; nam quamvis veteres scriptores de Jovis Dodonaei figura mentionem non faciant, tamen partim ex ar-

---

4) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. VI. pag.* 30 *nro.* 1.

boribus, hinc et inde positis, partim ex avibus, quae singulis arboribus insident, hoc in numismate *Jovem Dodonaeum* exhiberi, omni cum probabilitate colligi potest.

Aeschylus [1]), Homerus [2]), aliique *quercum* in fano Dodonaeo oraculum dedisse docent; pari modo Zenodotus tradit [3]), Jovem Dodonaeum nominari et *Phegonaeum* (*Φηγωναῖον*), *ἐπεὶ ἐν Δωδώνῃ πρῶτον φηγὸς ἐμαντεύετο*, *quia Dodonae primum FAGVS oracula edidit*; et Euphorio in Anio habet [4]):

Ἵκομεν ἐς Δωδῶνα Διὸς ΦΗΓΟΙΟ προφῆτιν
Venimus in Dodona Jovis FAGINI fatidicam.

Quodsi vero quercus Dodonaea tantam habuit in antiquitate celebritatem, ut non solum vaticinans crederetur, sed etiam Jupiter ipse ab ea cognominaretur: nonne arbores in numismate nostro quercus Dodonaeae, atque figura barbata intermedia Jovis Phegonaei nos commonefacient?

Haec sententia plurimum confirmatur duabus aviculis, quae singulis arboribus insident; Servius enim habet [5]): „*Juxta Dodonam*

---

1) *Ἐπεὶ γὰρ ἦλθε πρὸς Μολοσσὰ δάπιδα*
Τὴν αἰπυνωτόν τ' ἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
Μαντεῖα θῶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διός
Τέρας τ' ἄπιστον, αἱ προσήγοραι ΔΡΥΕΣ.
Aeschyl. Prometh.

2) *Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο*
Ἐκ ΔΡΥΟΣ ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.
Homer. Odyss. Ξ.

3) Stephan. Byz. *s. v. Δωδωνή.*

4) Stephan. Byz. *loc. cit.*

5) Servius *ad Virgil. Georg. I.* 147.

nemus est Jovis sacratum et abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus COLVMBAE oracula petentibus dare consueverant". Apud Pausaniam legimus [6]): *Καταφεύγουσιν οὖν ἐπὶ τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δωδώνῃ· τοῖς γὰρ τὴν ἤπειρον ταύτην οἰκοῦσι — αἱ ΠΕΛΕΙΑΙ καὶ τὰ ἐκ τῆς ΔΡΥΟΣ μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνετο ἀληθείας. Dodonae oraculum consulendum censuerunt; erat enim apud ejus orae incolas — COLVMBARVM et responsorum, quae ex QVERCV edebantur, maxima, ut veracissimi oraculi, auctoritas.* Etiam Herodotus perhibet [7]), se ab antistibus Dodonaeis accepisse, geminas Thebis Aegyptiis columbas evolasse, utramque nigram, unam quidem in Libyam, alteram ad Dodonaeos; hanc *Dodonaeum*, illam *Ammonis* oraculum instituisse. Quodsi vero in numis Aphytidis *duas* habemus columbas [8]) cum capite Jovis *Ammonis* consociatas, cum Jove quoque *Dodonaeo* recte *duae* conjunguntur columbae; quin Sophocles *duas* nominat columbas ex quercu Dodonaeo vaticinantes [9]):

Ὡς τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε
Δωδῶνι ΔΙΣΣΩΝ ἐκ ΠΕΛΕΙΑΔΩΝ ἔφη.

Inde recte concluditur, nostrum numisma Jovis Dodonaei referre figuram. — Ipse fingitur barbatus, capite radiato, manibus demissis

---

6) Pausan., *Attic. cap. XXI*, 1.

7) Herodot. *Lib. II. cap.* 55.

8) Pellerinius, (*Recueil de méd. Tom. I. pag.* 181. *Tab. XXXI.* 28), Eckhelius (*Doctr. num. vet. Tom. II. pag.* 68), Mionnetus (*Descr. de méd. grecq. Tom. I. pag.* 469 *nro.* 162) aliique viri perdocti in Aphytidis aere signato binas *aquilas* exhiberi censent; at vero equidem duas objici *columbas* nullus dubito; et quidem propterea, quod, Herodoto teste, *columbae* oraculum Ammonis, cujus caput in numuli parte antica exhibetur, instituisse dicantur.

9) Sophocl. *Trachin. vers.* 170.

vestem plicatam sublevans. Clar. Sestinius exemplar minus conservatum prae oculis habuisse videtur, cum scriberet[10]): „*Jupiter togatus complicatis* (?) *manibus stans*“. Quae quidem figura et in Vaillantii tabulis aeneis minus accurate fingitur, tanquam tectas (?) manus et complicatas (?) ad medium ventrem (?) sub pallio tenens[11]); cum tamen Vaillantius expressis verbis alium statum eidem adsignet, scribens: „*Jupiter stat manibus submissis*“. Longius a veritate recessit artifex, qui numismata maximi moduli ex Museo Pisano delineavit[12]); ibi enim fingitur figura barbata, cum tiara (?) in capite, manibus demissis catenas (?) tenens super duobus vasis (?).

At contra sententiam nostram, hoc in numismate Jovis Dodonaei figuram exhiberi, forsitan objicitur, duas arbores quercuum figuras non prae se ferre; et in pecunia Epirotica Jovem, qui recte tamen nominatur Dodonaeus, caput habere non radiatum. Quod autem adtinet ad arborum figuram, antiqui artifices, nominatim sculptores et scalptores, in fingendis plantis et arboribus summam non adhibebant curam, non tam varias arborum species, quam arborem in genere expressuri; in pecunia autem Epirotica Jovem caput habere non radiatum, dum in nostro numismate fingatur capite radiato, nil impedit, quominus in utraque pecunia eundem cognoscamus Jovem Dodonaeum; nam eandem varietatem modo vidimus in numis Colophoniis, in quibus Apollo Clarius fingitur modo capite nudo, modo capite radiato.

Numisma nostrum concordiam profitetur *Halicarnassum* inter et *Coon*, quod epigraphe *ΑΛΙΚΑΡΝΑCCЄΩΝ. Και. ΚΩΩΝ. ΟΜΟ-*

---

10) Sestini, *Catal. num. vet. Mus. Arrigon. castig. pag.* 74.

11) Vaillant, *Numism. imper. graec.*

12) Mus. Pisan. *numism. max. mod. Tab. XXXVIII.*

Νοια. attestatur. Ad hanc concordiam et duae spectant numismatis figurae, Jupiter Dodonaeus et Juno; nam plerumque in his concordiae numis proponuntur effigies numinum, quae in singulis civitatibus praecipua fuere [13]); eundem autem Jovem Dodonaeum, inter duas arbores positum, habemus in numis *Halicarnassi*, cum capite S. Severi [14]), Caracallae [15]) et Gordiani [16]); Juno vero cum patera et sceptro stans in curru, a pavonibus tracto, exhibetur in numo quodam Antonini pii *Coiensi* [17]). Quare in nostro quoque numismate Juno ad insulam *Coon*, Jupiter autem ad *Halicarnassum* spectat, et cl. Sestinius erravit, cum Junonem nominaret *Samiam*, numisma nostrum ex Museo Regis Bavariae false describens his verbis [18]):

> *ΑΛΙΚΑΡΝΑCCЄΩΝ. ΚΑΙ.* (?) *ΣΑμΙΩΝ.* (?) *ΟΜΟΝ, ΑΡΧ. ΕΥΦΡΑΝΤΙΚΟΥ.* (?) *Γ. Jupiter complicatis manibus* (?) *stans, etc.; ex adverso Juno Samia* (?) *inter duos pavones* (?) *stans.*

Huc etiam referendum est numisma, jam supra citatum, ex Museo Pisano sequenti modo depictum:

---

13) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. IV. pag.* 335.

14) Havercamp, *Numoph. Regin. Christin. Tab. XXVI. fig.* 2.
Vaillant, *Numism. imper. graec. pag.* 80. *S. Sever.*
Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 348 no. 264 *et* 265.

15) Vaillant, *Numism. Imp. graec. pag.* 97.

16) Vaillant, *loc. cit. pag.* 149.
Mionnet, *loc. cit. Tom. III. pag.* 350 *nro.* 270.

17) Tristan, *Comment. Tom. I. pag.* 602.
Mus. Theupol. *numism. antiq. pag.* 888.
Mionnet, *loc. cit. pag.* 410 *nro.* 95.

18) Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. IV. pag.* 80.

... *ΛΕΟΝΤΙΝΩΝ. ΑΡΧ. ΕΤ. ΦΙΑΝΤΙΚΟΥΣ. Jupiter ex adverso stans, cum tiara (?) in capite, manibus demissis catenas (?) tenens super duobus vasis (?), hinc et inde arbor, cui avis insidet; ex adverso mulier, capite turrito (?) prorae navis (?) insistit, dextera porrecta (?), sinistra hastam tenens, pro pedibus avis.*

Hoc numisma, aeque ac nostrum, in parte antica capita Caracallae et Getae, in postica nomen magistratus *ΕΤΦΡΑΝΤΑΚΟΥ* exhibens, (nam sic *ΕΤ. ΦΙΑΝΤΙΚΟΥΣ* loco legi debet) procul dubio etiam eandem, ac nostrum, Halicarnassum inter et Coon profitetur concordiam.

Si, quod non mediocribus probabilitatis niti argumentis modo vidimus, in aere Halicarnassensi Jupiter objicitur Dodonaeus, Halicarnassus ipsa colonia Pelasga nominanda videtur [19]), condita forsitan quo tempore a Pelasgis, Triopa duce, Cos et Cnidus [20]) incoli coeptae sunt.

---

19) Raoul-Rochette, *Hist. de l'établ. des col. grecq. Tom. I. pag.* 334.

20) Pausan, *Lib. X. cap.* 2.

IASVS.

Hadrianus.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ CЄΒΑCΤΟΝ.

Caput Hadriani laureatum ad d.

ZЄVC ΑΡЄΙΟC ΙΑΙCЄωΝ (sic) [2]). Jupiter Martialis barbatus, paludatus et galeatus ad dextram gradiens, dextera elata hastam vibrat, sinistra clypeum tenet; pro pedibus aquila. *Tab. IV. fig.* 5 . . . . . AE. 7.

Jovem Martialem apud veteres scriptores saepius invenimus memoratum. Pausanias tradit [3]): „*Prope Alphei aram* (*Olympiae*) *Vulcano sua item ara posita est. Sed hanc Vulcani aram nonnulli ex Eleis Martii Jovis* (*Ἀρείου Διός*) *nominant. Aiunt üdem, Oenomaum, quoties filiae procis curule certamen proponeret, Areo Jovi super hac ara rem divinam facere solitum*". Teste Plutarcho [4]) et in Molosside *Ἀρείῳ Διΐ* sacrificabatur.

Sed de ejus *figura* nullam veteres scriptores nobis reliquerunt mentionem. Quare eruditis Antiquariis, quorum tamen ejus figuram nosse intererat, non nisi ad meras conjecturas confugiendum erat.

---

1) Mionnetus, (*Descr. de méd. Tom. III. pag.* 358 *no.* 291) minus accurate habet: *ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΑ.*

2) Sestinius, (*Descr. num. vet. pag.* 374 et *Lettere numism. cont. Tom. IX. Tab. III. fig.* 7) minus accurate legit *IACCEωN*, Mionnetus autem (*loc. cit.*) *IACEωN.*

3) Pausan, *Lib. V. cap.* 14, 5.

4) Plutarch, *Pyrrh. cap.* 5.

Celeberrimus Winckelmannus Jovis Martialis imaginem in gemma deprehendisse opinabatur, quam his verbis describit [5]): „*Jupiter nudus imberbis stans, dextera fulmen tenens, brachio sinistro aegide obvoluto; pro pedibus aquila et clypeus; sinistra parazonium tenere videtur*“. At haec eruditissimi viri conjectura assensum reliquorum antiquariorum non accepit; nam cl. Schlichtegrollius [6]) in eadem figura Jovem cognovit Anxurem; Mariettus [7]) autem et perdocti Editores Musei Ducis Aureliani, de la Chaud et le Blond [8]), rectius, ut mihi videtur, Imperatorem Augustum ceu Jovem repraesentari existimant [9]).

Itaque, quia monumentum, quod certam Jovis Martialis exhiberet imaginem, hactenus nondum inveniebatur, numisma nostrum maximi est momenti ob adscriptam significationem typi: *ZETC APEIOC*; nam nunc compertum habemus, eum fingi solere barbatum, galeatum et paludatum cum hasta et clypeo.

Quae cum ita sint, non tantum loco cuidam Pausaniae, hactenus dubio, plurimum lucis affunditur, sed etiam Olympiae in templo Junonis juxta Junonem, in solio sedentem, Jovem Martialem stetisse, nobis constat.

---

5) Winckelmann, *Descr. des pierres grav. du feu Bar. de Stosch. pag.* 40.

6) Schlichtegroll, *Choix de pierres gravées. Tab. XX.*

7) Cabinet du Duc d'Orléans *Tom. II. pag.* 54.

8) Tassie et Raspe, *Collect. gener. de pierres grav. pag.* 89 *nro.* 962.

9) Schlichtegrollii sententia capiti juvenili innititur. Jupiter Anxur, inquit, fingebatur juvenilis; hinc Jupiter imberbis in gemma controversa nominari potest Jupiter Anxur. Sed mox ostendetur, Jovem, cognomine Anxurem, non unicum fuisse, qui imberbis et juvenilis fingebatur; praeterea Jupiter Anxur, in numis exhibitus, omnino differt a Jove, quem gemma controversa objicit; in numis enim fingi solet sedens, seminudus, capite radiato, cum patera et hasta.

Pausanias tradit [10]): *Τῆς Ἥρας δέ ἐστιν ἐν τῷ ναῷ Διὸς ἄγαλμα· τὸ δὲ Ἥρας καθήμενόν ἐστιν ἐπὶ θρόνου, παρέστηκε δὲ γένειά τε ἔχων καὶ ἐπικείμενος κυνῆν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. In Junonis templo Jovis est simulacrum; Junonis ipsius (simulacrum) in solio sedens; Jupiter autem adstat barbatus et galeatus.* Jupiter barbatus et galeatus quis est nisi *Ζεὺς Ἄρειος* — Jupiter martialis —, quem modo in Jasensium pecunia vidimus barbatum et galeatum?

Clar. Panofka quidem probare studet, figuram barbatam et galeatam, juxta Junonis simulacrum (in Junonis templo Olympiae) stantem, esse *Mercurium.* Quam sententiam ut evincat, vituperat eos, qui locum Pausaniae: *παρέστηκε δὲ γένειά τε ἔχων καὶ ἐπικείμενος κυνῆν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ* — de Jove intelligentes, tradunt: „*adstat autem Jupiter barbatus et galeatus*“. Num Pausanias, inquit [11]), absurdius quid scribere potuisset, quam „*adstat Jupiter barbatus?*“ Nonne barba Jovis propria? Tum Jupiter galeatus? Qua epocha summus deûm fingebatur cum galea in capite? Quid denique significaret tale adtributum, genio graecae artis omnino alienum? Quare, addit, tradendum est: „*adstat autem barbatus QVIDAM*“, et addendum *Ἑρμῆς*, quae vox vel aures vel oculos copistae propter similitudinem vocis *Ἥρας*, modo antecedentis, facile effugere potuit. Sic eruditissimus Panofka.

Ad singulas hasce objectiones respondere, non abs re esse arbitror. *Nonne barba*, inquit, *Jovis propria?* Est quidem propria; sed quamvis Jupiter barbatus fingi soleret, idem tamen haud raro imberbis quoque fingebatur. Ne Jovem, apud Volscos peculiariter cultum, cognomine Anxurem, memorem, qui semper imberbis fingebatur, (quin sunt, qui ipsum cognomen *Anxur* vel *Axur* a voce

---

10) Pausan, *Lib. V. cap.* 17, 1.

11) *Annales de l'Institut de corresp. archéol. Tom. II. pag.* 107.

ἄξυρος i. e. *intonsus*, *imberbis* derivent); Jovem ceu deum juvenilem et imberbem apud Graecos nonnunquam fuisse fictum, et quidem quo tempore artifices in efficiendis operibus suis exterarum nationum religione nullo modo ducebantur, veteres scriptores non minus ac monumenta antiqua extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Jupiter cognomine *Ἑλλήνιος* sive *Graecorum* per varias Graeciae urbes colebatur. Ejus simulacrum, quod in Syracusarum numis exhibetur, intuentes poterat reddere suspensos, num illud pro Jove an Apolline haberent; nam ipse ore et capitis cultu adeo est Apollini similis, ut, nisi repugnaret epigraphe et aquila, nemo Apollinem inficiaretur [12]).

Pausanias quoque inter Aegii urbis memoranda signum recenset aeneum Jovis imberbis; *ἔστι δὲ καὶ ἄλλα*, inquit [13]), *Αἰγιεῦσιν ἀγάλματα χαλκοῦ πεποιημένα, Ζεύς τε ἡλικίαν παῖς, καὶ Ἡρακλῆς, οὐδὲ οὗτος ἔχων πω γένεια, Ἀγελάδα τέχνη τοῦ Ἀργείου,— sunt et alia apud Aegienses ex aere fabricata signa; Jupiter puerili aetate et Hercules, hic quoque imberbis, Ageladae Argivi opera.* In Alti quoque inter Jovis signa, a populis et singulis hominibus posita, duo erant Jovis imberbis. *Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεύς*, Pausanias inquit [14]), *οὐκ ἔχων πω γένεια· κεῖται δὲ ἐν τοῖς ἀναθήμασι τοῖς Σμικύθου, alius ibidem Jupiter est imberbis, inter Smicythi dona;* et paulopost: *ἀπὸ δὲ τοῦ ἀγάλματος τοῦ εἰρημένου προελθόντι ὀλίγον καθ' εὐθεῖαν, ἄγαλμά ἐστι Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτό, Ἐλαϊτῶν δὲ ἀνάθημα, paullulum hinc recta progressis aliud est Jovis imberbis signum; dedicaverunt Elaitae.*

---

12) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. I. pag.* 244.

13) Pausan. *Lib. VII. cap.* 24, 2.

14) Pausan, *Lib. V. cap.* 24, 1.

Quodsi vero Jupiter nonnunquam fingebatur *imberbis*, Pausanias Jovem, in Junonis templo positum, recte *barbatum* nominare potuit; nimirum sicuti Jupiter, ab Agelada fictus, vel Jupiter, Olympiae in Alti positus, describitur ceu *οὐκ ἔχων πω γένεια*, ita Jupiter Olympiae in Junonis templo describi potest ceu *γένειά τε ἔχων*; neque absurdi quidquam in hac descriptione invenio.

At Jupiter non tantum idcirco, quia ipse nonnunquam imberbis fingebatur, sed ex alia quoque ratione barbatus nominari potuit; cum enim Pausanias Jovem describeret *galeatum*, galea autem adtributum sit insolitum, aequum erat atque rationi consentaneum, ut barbam quoque memoraret, quasi indicaturus, Jovem, quamvis galeatum, fuisse tamen barbatum. Haud absimili modo Pausanias, paulopost Minervae describens statuam, eam dicit *cassida* armatam, hasta et scuto, quamvis Minerva semper cassida instructa fingeretur.

Quod ad galeam adtinet, tale Jovis adtributum insolitum quidem esse dignoscitur; sed quod insolitum, hoc idcirco negari non debet. Ex numismate nostro Jovis Martialis caput fuisse galeatum, compertum habemus; quia vero Jupiter Martialis in Jasensium pecunia fingebatur barbatus et galeatus, inde, sin minus affirmari, conjici certe potest, ipsum Olympiae quoque apud Eleatas eandem habuisse figuram.

Cl. Panofka vertit denique: „adstat autem barbatulus *quidam*“ et supplendum esse censet *Ἑρμῆς*. Sed vox „quidam“ a Pausania alias exprimi solet per *τίς* vel *ἀνήρ*; vocis autem *Ἑρμῆς* additio justo audacior nominari meretur.

Si locum Pausaniae attentius consideraverimus, ejus sensum nullo negotio intelligere poterimus. *In Junonis templo*, inquit, *Jovis est*

simulacrum Τῆς Ἥρας δέ ἐστιν ἐν τῷ ναῷ Διὸς ἄγαλμα [15]). Dein Junonis describitur simulacrum, *τὸ δὲ Ἥρας*, inquit, *καθήμενόν ἐστι ἐπὶ θρόνου*. Nonne lector merito exspectare debet, Pausaniam de *Jovis* quoque statua mentionem facturum fore, cum modo dixisset, in Junonis templo *Jovis esse simulacrum?* Sane verba, proxime sequentia, *παρέστηκε δὲ κ. τ. λ.* facile de Jove intelligi possunt, si cum Kuhnio post vocem *θρόνου* addimus *ὁ δε*, quod scriptorem ob antecedentes literas *ου* facilius effugere potuit, quam vox *Ἑρμης*. Facta autem hac levissimi sane momenti correctione, clarum atque simplicem habemus sensum, nimirum: *Τῆς Ἥρας δέ ἐστιν ἐν τῷ ναῷ Διὸς ἄγαλμα· τὸ μὲν Ἥρας καθήμενόν ἐστι ἐπὶ θρόνου, ὁ δὲ παρέστηκε γενειά τε ἔχων καὶ ἐπικείμενος κυνῆν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, in IVNONIS templo IOVIS est simulacrum; IVNO sedet in solio, IVPITER autem adstat barbatus et galeatus.*

Quod si a vero non abhorret, nimirum si figura barbata et galeata adstans pro *Jove* haberi debet, hunc Jovem, Olympiae in Junonis templo juxta Junonem, solio insidentem, positum, Jovem esse *Martialem*, qui, numismate Jasensium teste, barbatus et galeatus fingebatur, nemo sane erit, qui contradixerit.

Sed forte sunt, qui, negantes Jovem Martialem in Elide cultum eundem esse ac Jovem Martialem in Caria adoratum, dubitent, an ex numismate Jasi Cariae de statua in Elide posita, conjecturam facere possimus. Verum ejusmodi dubia facile tolluntur, si ostensum fuerit, quomodo factum sit, ut Elei Jovem Martialem cum Vulcano commutaverint, quum Pausanias tradat loco supra citato: „hanc Vulcani aram nonnulli ex Eleis *Ἀρείου Διὸς* nominavere“.

---

15) Vocem *ἄγαλμα* ad Jovem, neque vero ad Junonem esse referendam, in dubium vocari non potest; nam capite praecedenti Pausanias, se Junonis, non autem Jovis templum (*ναόν*) descripturum fore promisit; quare vox *ναός* ad Junonem, et vox *ἄγαλμα* ad Jovem referatur necesse est.

Jovis Martialis ad Vulcanum relatio ut luculentius pateat, *Jovis Carii* notiones paulo accuratius investigemus oportet.

Teste Herodoto Jovis Carii cultus erat antiquissimus [16]). Carii, pro indole sua bellicosi, bellicosum venerabantur deum; inde et Jupiter ipsis erat bellicosus vel Martialis, testibus Herodoto [17]) et Strabone [18]) tradentibus, Jovem in pago Labranda prope Mylasa cultum, et inde cognominatum Labrandeum, fuisse *Διὰ στράτιον*. In numis hic Jupiter Labrandeus fingitur cum bipenni, et nonnulli Antiquarii cognomen ipsum derivant a voce *λάβρυς*, quae securim pugnatoriam significat.

Aelianus [19]) Jovem Carium sive Labrandeum eundem esse affirmat ac Jovem *Pluvium*, atque teste Strabone [20]) idem et *Chrysaoreus* appellabatur.

Habemus igitur in Caria Jovem *Martium*, qui idem (teste Aeliano) *Pluvius*, atque (auctore Strabone) *Chrysaoreus* appellabatur. *Χρυσώρ* vel *Χουσωρός*, quem et *ἀνοιγέα πρῶτον* nominant, teste Eusebio est idem ac Vulcanus, nimirum: incantator *ignis* [21]). Jupiter igitur Martius, in Caria adoratus, qui et idem erat Pluvius et Chrysaoreus, sive deus imbris et ignis, nominari potest, ut cl. Creuze-

---

16) Herodot. *Lib. I. cap.* 171.

17) Herodot. *Lib. V. cap.* 117. *Ἐνθεῦτεν δὲ οἱ διαφυγόντες αὐτέων κατειλήθησαν ἐς Λάβρανδα, ἐς Διὸς Στρατίου ἱρόν.*

18) Strabo, *Lib. XIV. pag.* 659. *Tom. V. pag.* 631. *Tzsch.* *Ἐνταῦθα Διός ἐστιν νεὼς ἀρχαῖος καὶ ξόανον Διὸς Στρατίου.*

19) Aelian. *Hist. anim. Lib. XII.* 30.

20) Strabo, *Lib. XIV. pag.* 660. *Tom. V. pag.* 637. *Tzsch.*

21) Schelling, *die Gottheiten von Samothrace, pag.* 69 *seqq.*

rus [22]) eruditissime docuit, *Jupiter-Vulcanus* [23]). — Notio igitur primaria Jovis Martialis, in Caria culti, arctissime cum Vulcani cohaeret notionibus.

Quodsi vero Pausanias narrat, ex Eleis nonnullos Vulcani aram *'Αρείου Διός* nominasse, haec Vulcani cum Jove Martiali commutatio non tantum illustre confirmat, quae cl. Creuzerus de Jove-Vulcano ingeniose docuit, sed etiam certos nos reddit, Jovem Martialem tam in Elide, quam in Caria adoratum *unum eundemque* fuisse. Itaque nova adest ratio, figuram barbatam et galeatam, Olympiae prope Junonis sedentis simulacrum consistentem, quam Jovem esse cognovimus, nominandi Jovem Martialem [24]).

---

22) Creuzer, *Symbolik und Mythologie*, *Tom. IV. pag.* 66 *not.* 109.

23) Stephanus Byzant. *s. v. Μαστανρα* habet: „*Jupiter Rheae Bacchum educandum dedit. Rhea, quae et Ma nominatur, a Junone interogata, cujus infans esset, respondit 'ΑΡΕΟΣ. A Ma urbs Mastaura dicta est. Fluvius vero mediam urbem interfluens Chrysaoreus appellatur*". Habemus igitur IOVEM, quem Rhea nominat MARTEM, atque fluvium Chrysaoreum, id est: Jupiter Martialis, qui et Pluvius nominari potest, hoc loco cum *fluvio* connectitur. Quocum conferatur ara Alphei *fluvii*, prope quam Jupiter Martialis, quem Elei cum Vulcano commutarunt, aram suam habuit; Pausanias enim tradit: „*Ab hac non longe alia erecta est* Alpheo *ara*, prope quam *Vulcanus suam item habuit aram; sed* hanc *Vulcani aram nonnulli ex Eleis 'Αρείου Διός nominant*".

24) Cum hoc Jove-Vulcano Martiali, prope Junonem, solio insidentem, consistente in templo Junonis, confer Vulcanum Martialem prope Junonem, solio insidentem, in urna depicta. (Millin, *Gallerie mythol. Tab. XIII. fig.* 48.) Quemadmodum Jupiter Martius fingitur barbatus, galeatus, paludatus, cum hasta et clypeo, ita in hac urna depicta Vulcanus (*ΔΑΙΔΑΛΟΣ*), contra Martem pugnans, exhibetur, paludatus, cum clypeo et hasta; galea tantum vel pileus Vulcani differt a galea Jovis.

COS.

INSVLA AD CARIAM.

KOΣ (sic) Vir nudus (Apollo) manibus super caput elatis circum tripodem saltans.
Quadratum incusum in crucis forma, in cujus medio pagurus. *Tab. IV. fig.* 7 . . . . . AR. 7.

Teste Stephano Byzantino nomen hujus insulae vario modo scribebatur, nimirum ***KΩΩΣ*** et ***KOΩΣ*** et ***KOOΣ*** et ***KΩΣ***. In numismate supra descripto, concordiam profitente Halicarnassum inter et Coon, habuimus ***KΩΩN***, in hoc exhibetur ***KOΣ***; Cousineryus et Sestinius minus accurate habent ***KΩΣ*** [1]).

Cos, civitas Dorica, particeps erat sacrorum atque certaminum Apollinis Triopii, in quibus tripodes praemiorum loco exponebantur, teste Herodoto narrante [2]), quinque civitates, Lindum, Jalysum, Camirum, Coum atque Cnidum, sextam civitatem Halicarnassum ab Apollinis Triopii sacris removisse, quia vir quidam Halicarnassensis, nomine Agasicles, in certamine victoria potitus, tripodem aeneum, deo dicandum, in domum suam deferens, clavo affixisset.

---

1) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. III. pag.* 401 *no.* 5.

Sestini, *Lettere numism. contin. Tom. IV. pag.* 81.

2) Herodot, *Lib. I. cap.* 144.

In numismate nostro virum habemus circum tripodem saltantem. Hunc typum ad sacra Triopia spectare, in quibus tripodes praemia proponebantur, dubitari vix potest; attamen haud ita perspicuum est, quis sit vir circum tripodem saltans?

Forsitan sacerdos Apollinis Triopii, vel vir quidam in certamine Triopio victor? Equidem dubito; nam antiqua numismata, peculiariter remotioris aevi, sacro quodam, si ita loqui fas est, circumdata nimbo, deorum quidem, heroum geniorumque, non vero hominum figuras objiciunt.

Quare facile adducor, ut virum saltantem esse Apollinem Triopium credam. Vir quidem rejecto capite violentaque omnium membrorum jactatione saltans furibundorum potius Bacchi comitum admonet, quam Apollinis, qui semper digniori tranquilliorique situ praeditus fingi solet; sed numismata Tarentina nos docent, Apollinem quoque solitam nonnunquam reliquisse quietem; nam in his fingitur nudus, dextera elata, corpore violenter rejecto, flexo genu procumbens [3]). Rejectum igitur corpus et manus elatae nil impediunt, quominus virum circum tripodem saltantem nominemus Apollinem, qui appellatur saltator a Pindaro canente [4]):

Ὀρχήστ' ἀγλαΐας ἀνάσσων, εὐρυφάρετρ' Ἄπολλον.

Habemus igitur, pro mea quidem opinione, in numismate nostro Coiensi Apollinem Triopium saltatorem.

Ceterum a proposito alienum non esset, si hoc loco quaereretur, utrum Apollo dictus sit *Triopius* a promontorio Triopio, an a Triopo Pelasgo, an a tripodibus aeneis, quos ferebant victores in certamine,

---

3) Annales de l'Institut de correspond. archeol. *Tom. II. pag.* 137.

4) Pindar. *Fragm. XI.* 12.

an, sicut nonnulli censent, quasi *τριόφθαλμος* vel *τριόψ* ab insigni prudentia; sed hoc nil juvat ad interpretandum numisma. Majoris contra est momenti investigare, quid sit, quod Apollo saltans elatis manibus teneat.

Sestinio *discus* esse videtur. Quae sententia, me quidem judice, non mediocrem prae se fert probabilitatem; notum est enim, Zephyrum, quum Apollo cum Hyacintho disci jactu sese exerceret, nocendi occasionem nactum, discum, ab Apolline emissum, flatu suo in caput Hyacinthi contorsisse et puerum interemisse. Discus igitur Apollini Hyacinthio competit. Quodsi vero Hyacinthius, Triopius quoque Apollo cum disco repraesentari potest; sacra enim Triopia et Hyacinthia eandem habent significationem.

Hyacinthus juvenis nominabatur a flore, in antiquis symbolis mortem et interitum significante; inde et in festis Hyacinthiis sacrificia celebrabantur funebria et nocturna, alias Cereris quidem, non vero Apollinis propria. Quare tam ex symbolis, quam ex ritibus, sacra Apollinis Hyacinthii *Cereris* religione inniti, certiores reddimur [5]).

Idem reperimus in sacris Apollinis Triopii. Omnia, quae in antiquis fabulis narrantur de Triopa et ejus filio Erysichthone, ad cultum agrarium spectant. Triopas cultum Cereris Pelasgidis ex campo Dotio per colonos missos in Asiam minorem deferebat [6]); atque Cos ipsa a Merope, Triopae filio, etiam Meropis et Triopis collis nominabatur [7]), et Ceres ibi, teste Callimacho [8]), magnis erat in honoribus.

---

5) C. O. Müller, *Dorier, P. I. pag.* 354.

6) Pausan. *Lib. II. cap.* 22, 2.

7) *Κῶν τὴν Μεροπίδα* nominant Thucydides, Strabo, Pausanias, Plinius, etc.

8) Callimach, *Hymn. in Cerer. vers.* 31.

Quin sacra Triopia, a sex urbibus, supra memoratis, celebrata, festa erant tam in Cereris, quam in Apollinis honorem instituta; Pelasgi nimirum ex campo Dotio Cereris, Dores autem e Peloponneso Apollinis cultum in promontorium Triopium transtulerunt 9).

Itaque si discus Apollini Hyacinthio, idem et Apollini Triopio convenit idcirco, quia sacra tam Hyacinthia, quam Triopia, ambo, ut ita dicam, Pelasgo-Doricae originis, in Cereris et Apollinis honorem instituta, iisdem innituntur notionibus.

At vero si corporis gestum et manus elatas consideraverimus, Apollinem saltantem dextera non discum, sed tympanum tenere, quod sinistra pulsat, probabile fit; tympanum enim non tantum bacillis et virgula, sed etiam manu vel digitis pulsabant, Ovidio teste 10):

Femineae voces, impulsaque tympana *palmis.*

Pagurus autem vel cancer in parte postica nil nisi urbis monetariae situm maritimum indicare videtur; sed abs re non erit animadvertere, Cabiros quoque Pelasgos nominari *καρκίνους.* Forte, ut sacra Triopia ad Cererem Pelasgam, ita pagurus ad Cabiros spectat Pelasgos?

---

9) Conf. Raoul-Rochette, *Hist. des colon. grecq. Tom. I. pag.* 334 et C. C. Müller, *Dorier, P. I. pag.* 105, 262, 286, 400.

10) Ovid. *Metam. Lib. VIII. vers.* 282.

LYDIA.

SARDES.

CAPΔIANΩN. Caput mulierc hederis coronatum ad sin.
CAPΔIANΩN. Vir nudus et barbatus (Silenus) ad d. sedens, dextera cantharum tenet, sedi quadratae impositum, sinistra infantem (Bacchum) genibus insidentem sustinet. *Tab. IV. fig.* 8 . . . . . AE. 5.

Hanc monetam perraram et, quantum equidem sciam, ineditam idcirco describo, quia alterius, in Antinoi honorem signatae, typum illustrat, quem, nostro omnino consimilem, eruditissimus Eckhelius sic describit [1]):

Vir barbatus, dextera fulmen, sinistra infantem gestat.

Vaillantius, inquit Eckhelius, *hoc typo SATVRNVM credidit exhiberi, qui devorare filium parat; sed verius est IVPITER, Bacchum Pyrigenem, seu inter fulmina enixum, sinu fovens. Praeclare secundum hunc typum loquitur de se urbs Sardes in epigrammate Macedonii:*

Αὐτὴ καὶ Βρομίῳ γενόμην τρόφος, ἐν δὲ κεραύνῳ
Ἕδρακον εὐρυτέρῳ φωτὶ φαεινόμενον.

---

1) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. III. pag.* 114.

Ipsa etiam Baccho fui nutrix, et inter fulmina
Eum vidi latiori lumine collucentem.

Sic eruditissimus Eckhelius, sententiam suam e fulmine probaturus, quod vir nudus barbatus dextera tenet; sed perdoctum Antiquarium exemplar, paullulum detritum, fefellisse videtur; nam apud Mionnetum [2]) idem, in Antinoi honorem consignatum, numisma invenio descriptum his verbis:

Saturne nu debout, tenant dans la main droite un VASE, et un enfant sur le bras gauche.

Unde in eo quoque exemplari, quod Eckhelius prae oculis habuit, virum nudum et barbatum non *fulmen*, sed *vas* vel *cantharum* dextera tenere suspicor.

Dein vir nudus, numismati nostro inscalptus, neque majestatem neque gravitatem Jovis prae se fert; imo vero senex est capite calvo et sima nare, ut cuique patebit, qui numismatis figuram, accurate delineatam, diligenter inspexerit. Quapropter neque cum Vaillantio et Mionneto *Saturnum*, filium devoraturum, neque cum Eckhelio *Jovem*, Bacchum Pyrigenem sinu foventem, in Sardianorum pecunia repraesentari existimo; sed *Silenum*, Bacchi nutritium et paedagogum, *εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων*, qui a Luciano in deorum concione describitur ceu *φαλαγρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα*. Macedonii vero epigramma, ab Eckhelio citatum, tantum abest, ut huic sententiae repugnet, ut confirmet, praeter Naxum, Patras, Nysam, Thebas et alia loca, urbem quoque Sardes se Bacchi nutricem nominasse, et inde peculiarem habuisse causam imprimendi aeri suo Silenum, Bacchi nutritium.

---

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. IV. pag.* 126 *nro.* 715.

TEMENOTHYRA et FLAVIOPOLIS.

ΦΛΑΒΙΟΠΟΛΙC. Protome muliebris turrita ad d.
ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙЄ. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΤCΙ. Mercurius ad sin. stans, dextera crumenam, sinistra caduceum cum paenula tenet. *Tab. IV. fig.* 9 . . . . . AE. 6.

Cl. Sestinius, hunc numum *Flaviopoli Bithyniae* adtribuens, in parte postica loco *ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙЄρευ;. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΤCΙ* false legit: *ΝЄΙΚΟΜΑΧΟC ΑΡΧΙЄΡЄΤC ΑΝЄΘΗΚЄ* [1]). Mionnetus, Sestinii auctoritate innixus, hanc descriptionem in opus suum „Description de médailles antiques“ recepit, et numum ipsum centum libris aestimavit [2]).

Nicomachum *Temenothyris* summum fuisse pontificem, ex multis probatum habemus numis, inscriptis: *ΝЄΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧ. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΤCΙ*, vel *ΝЄΙΚΟΜΑΧΟC ΑΡΧΙЄΡЄΤC ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΤCΙ* vel *ΝЄΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙЄΡЄΤC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΤCΙ* [3]). Quare nostrum quoque numisma, quia nomen *ejusdem* summi pontificis (Nicomachi) prae se fert, ad Temenothyras pertinere, in dubium vocari non potest. Verum id, quod ex analogia cum reliquis Temenothyrarum numis nullo negotio conjectura erui potest, numo ipso, accuratius examinato, certissimum

---

1) Sestini, *Classes generales, Edit. secund. pag.* 67.
Idem, *Descr. del Mus. Hederv. Tom. II. pag.* 44 *no.* 3.

2) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Suppl. Tom. V. pag.* 22 *no.* 175.

3) Eckhel, *Doctr. num. vet. Tom. III. pag.* 120.

redditur; nam epigraphe, supra descripta, in numismate re vera conspicitur.

Habemus igitur concordiam *Flaviopolin* inter et *Temenothyras*. — *Temenothyrae* a Pausania in Lydia collocantur [4]), a Notitiis in Phrygia, unde conjicitur in finibus Lydiae et Phrygiae fuisse. Jam quaeritur, ubinam gentium *Flaviopolis* sit quaerenda? Apud veteres scriptores reperimus Cratiam, quae et Flaviopolis fuit nominata, circa Parthenium amnem in *Bithynia*, atque Flaviopolin prope fontes Calycadni ac sub Tauro monte in *Cilicia* sitam; at vero utrum Flaviopolis Bithyniae, an Cilicieae, an tertia quaedam, Temenothyris vicinior, hoc loco sit intelligenda, me nescire, candide fatear oportet.

---

4) Pausan. *Attic. cap.* 35.

PHRYGIA.

LAODICEA.

IЄPA (CYNKΛHTOC). Caput juvenile cum paludamento ad d.

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ NЄΩΚΟΡΩΝ. Aper et lupus ex adverso sedentes. *Tab. IV. fig.* 10 . . . . . AE. 6.

In hoc numismate duas habemus bestias. Quaeramus igitur oportet, quae sint haec animalia et quid significent? Mionnetus hunc numum ex Museo Cousinéryano his describit verbis [1])

IЄPA . CYNKA . . . . Tête jeune cornue (?)
ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ NЄΩΚΟΡΩΝ. Deux RENARDS accroupis en face l'un de l'autre et se regardant.

Similes bestiae objiciuntur in numismate Juliae Domnae Laodicensi, cujus partem posticam Vaillantius ex Museo Reginae Sueciae hunc in modum describit [2]):

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ NЄΩΚΟΡΩΝ. Figura tunicata et velata stans, dextra Jovis simulacrum tenet; pro pedibas hinc CERVUS, inde LEO.

---

1) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. IV. pag.* 316 *no.* 700.

2) Vaillant, *Numism. imper. graec. pag.* 92.
Mionnet, *Descr. Tom. IV. pag.* 327 *nro.* 764.

Havercampus eundem Juliae Domnae numum ex Museo Reginae Christinae vulgans, adnotat [3]): *De typo hujus numi Vaillantius sic scriptum reliquit: Figura tunicata et velata, s. Jovis signum; hinc cervus inde leo. Sed non videtur per otium consuluisse, prouti Petrus Santi-Bartolus, qui Victoriam sinistrae mulieris manui insidentem depinxit. LEO certe ad pedes mulieris agnoscitur; sed figurae, quam pro cervo cepit nobilis Antiquarius, cornua desunt. Itaque CANEM suspicor, atque per duo animalia Furiarum et Cybeles cultum exprimi; huic enim deae LEO passim adpingi solet, illis CANIS jungitur*".

Eaedem bestiae et in tertia quadam exhibentur moneta Laodicensi, in Caracallae honorem signata, quam Vaillantius hoc modo describit [4]):

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. LEO et LVPVS sub terga sedentes ex adverso.

Ecce vivarium in aere Laodicensi! Mionnetus vel Cousinéryus vidit duas *vulpes*, Vaillantius *cervum* et *leonem*, atque altero in numismate *lupum* et *leonem*, Havercampus denique *canem* et *leonem*. Quid igitur ex hoc grege seligendum? Huic argumento difficili atque obscuro plurimum lucis affundit numisma Musei Chaudoir, a cl. Sestinio vulgatum, nimirum [5]):

---

3) Havercamp, *Mus. Regin. Christin. pag.* 180. *Tab. XXVI. fig.* 12.

4) Vaillant, *loc. cit. pag.* 101.

Mionnet, *loc. cit. pag.* 330 *nro.* 783.

5) Sestini, *Mus. Chaudoir, pag.* 109 et *Descr. del Mus. Hederv. Tom. II. pag.* 349 *nro.* 18. *Tab. XXVII. fig.* 3.; sed ibi *apri* loco minus accurate exhibetur *capra*.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. Hujus caput.
ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΟ. Π. Η. Mulier dextra pateram, sinistra simulacrum Jovis sustinens, ad s. stat inter lupum et aprum, sub primo $\frac{ΛΥΚ}{ΟC}$ *sub altero* $\frac{ΚΑΠ}{ΡΟC}$.

Lycus et Caprus sunt duo fluvii, Laodiceam praeterlabentes, teste Strabone referente [6]): *Ἐνταῦθα ὁ ΚΑΠΡΟΣ καὶ ὁ ΛΥΚΟΣ συμβάλλει τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ, ποταμὸς εὐμεγέθης ἀφ' οὗ καὶ ἡ πρὸς τῷ Λύκῳ Λαοδίκεια λέγεται. Ibi etiam CAPRVS et LYCVS in Maeandrum incidunt; Lycus fluvius est magnitudinis justae, a quo et Laodicea cognomen habet, ut ad Lycum sita dicatur.*

Duae igitur bestiae, quae in Laodiceae numis exhibentur, sunt lupus et aper, *λύκος καὶ κάπρος*, et significant Lycum et Caprum fluvios, Laodiceam praeterlabentes.

SYNAOS.

L. Verus.

ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. Caput L. Veri laureatum cum lorica et paludamento ad sinistram.

ΕΠΙ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. ΑΣ. ΑΡΧΟΝ. ΤΟ. Β. ΣΥΝΑΕΙΤΩΝ. Apollo nudus ad. d. gradiens, sinistra extenta arcum tenet, dextra telum ex pharetra depromit. *Tab. IV. fig.* 11 . . . . . AE. 9.

---

6) Strabo, *Lib. XII.*

Cl. Mionnetus hoc perrarum numisma ex Catalogo Cousinéryano minus accurate descripsit his verbis [1]).

ΑΥΤ. ΚΑΙΛ. (?) Μ. (?) ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟΣ. Tête laurée de Marc-Aurele (?).

ΕΠΙ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. ΑΣ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ. (?) ΕΥΝΑΝΕΙΤΩΝ (?). Amazone (?) debout, prenant de la main droite une flèche dans son carquois, et tenant un arc dans la gauche.

At vero in parte antica non legitur *ΑΥΤ. ΚΑΙΛ. Μαρκος. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟΣ*, sed *ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λουκιος ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟΣ*; itaque non *Marcum Aurelium*, sed *Lucium Verum* habemus repraesentatum. Epigraphe partis posticae legenda est: *ΑΣιΑΡΧΟΝτος. ΤΟ. Β.* — Cousinéryus, literam *Β* sumens pro *Ε*, minus accurate legit *ΑΣ. ΑΡΧΟΝΤΟΣ.* Figura denique nuda, sinistra arcum tenéns et dextera telum ex pharetra depromens, *Apollinis* quidem, non vero *Amazonis* speciem prae se fert.

Pari modo Sestinius partis posticae typum minus aceurate sic describit [2]): *Diana (?) pelle cervi induta (?) pedibus inflexis ad d. stans, d. telum e pharetra dorso appensa depromit, s. extenta arcum.* Diana, pelle cervi induta, ceterum nuda, in antiquis monumentis vix reperitur. Quod saepe laudatus Antiquarius pro pelle cervi sumsit, non est nisi macula rubiginis.

---

1) Mionnet, *Descr. de méd. grecq. Tom. IV. pag.* 364 *nro.* 959.

2) Sestini, *Descr. del Mus. Hedervar. Tom. II. pag.* 356 *nro.* 2. *Tab. XXVII. fig.* 14.

INDEX.

Aesculapii simulacrum a Thrasymede fictum in Epidauriorum numismate 160.

Alabanda Cariae. Numuli aliquot, huic urbi adscripti, ad Plarasenses et Aphrodisienses pertinent 226.

Alexandro, Neoptolemi filio, numuli, quos Pergamus urbs fieri fecit, false adtribuuntur 195.

Alexandria Troadis 198.

Amazon (?) in Synnai aere signato 251.

Amazon Cyme in numis 210.

Aper, fluvii Capri symbolum in Laodiceae Phrygiae numis. 250

Aphrodisia Cariae 225.

Aphytis Macedoniae 228.

Apollo Clarius in numis Colophonis Joniae 214.

Apollo Smintheus in aere signato Alexandriae Troadis 199.

Apollo Triopius *ὀρχηστής* in Coiorum pecunia 240.

Aquila (?) in numis Aphytidis Macedoniae 228, not. 8.

Aries, geuerationis symbolum, unde in numismate *IONNEΩN* inscripto 104.

Arpi Apuliae 97.

Aspledon Boeotiae ex geographia numaria delenda 111.

Bacchus et Semele in Smyrnaeorum pecunia 224.

Bizya Thraciae 100.

Cadalvenei explicationes emendatae 92, 117, 125, 132, not. 21.

Canae Aeolidis, nova urbs numaria 200; colonia Euboica 202.

Capra, Dianae Sospitae comes in Pegarum numo 150.

Ceres *Μαλόφορος* (?) in Pegarum numo 148.

Ceres Phigalensis sive *μελαίνη* (?) in Pherarum pecunia 137.

Cleonae Argolidis. Numismata *KΛH* inscripta huic urbi false adtribuuntur 93.

Cliternia Dauniae, nova urbs numaria 91.

Colophon Joniae 213.

Columbae ex quercu Dodonaea vaticinantes in pecunia Halicarnassi 228.

Columbae duae Jovi tam Dodonaeo quam Ammoni consociatae 228.

Commodus imperator ceu Smyrnae et Nicomediae protector tam Neptuni quum Cereris signa diacritica prae se fert 221.

Corinthus. Numulus quidam huic urbi adtributus ad Trieres Macedoniae est referendus 125.

Cos, insula ad Cariam 226, 240.
Cotys, rex Thraciae 109.
Cousinéryi descriptiones emendatae 125, 191, 215, 226, 240, 248, 251.
Ctemenae Thessaliae urbs e republica numaria delenda 93.
Cyme Aeolidis 208.

Diana Claria in Colophonis numis 214.
Diana equestris in aere Patrensi 155; in Pherarum pecunia 138.
Diana galeata et clypeum tenens (?) in Ephesi numo 217.
Diana, numen marinum, palustrale et fluviale 138.
Diana, pelle cervi induta (?) in Synnai numismate 251.
Diana Pheraea in Pherarum pecunia 153.
Diana Sospita in numismate tam Pagensi quam Megarensi 153.
Diomedes in Daunia cultus 97.
Diomedes (?) in aere Germensi 192.

Eckhelii explicationes emendatae 132, not. 21, 135, 147, 162, 244.
Eïon Chalcidices, nova urbs numaria 117; Mendaeorum colonia 117; distinguenda ab Eïone Strymonia 120; quae est eadem ac Eïon Pierica 123.
EAIMTIAON (?) in moneta Gortynia 162.
Ephesus Joniae 217.
Epidaurus Argolidis 143.
Eprius Marcellus, proconsul Asiae 211.
Equi caput in numis Panormitanis 136, not. 10.
Equus in Dauniae numis ad Diomedis spectat cultum 97.
Euboea ab Jone nominata 203, not. 9.
Eudeielos appellabatur Aspledon Boeotiae urbs 112.
Europa, platano insidens 165.

Fama (?) in numismate Heracleae Bithyniae 188.
Flaviopolis Bithyniae? 246.
Froelichii explicatio emendata 147.

Gergitho numuli *KA* inscripti false adtribuuntur 200; Gergithus Troica distinguenda a Gergitho Aeolica 207.
Germe Mysiae 191.
Goneis Thraciae, nova urbs monetaria 101.
Gortyna Cretae. Numismata huic urbi minus accurate adscripta 163, 164.

Halicarnassus Cariae 226.
Halonesus insula e republica numaria delenda 102.
Hauteroche Allieri descriptiones emendatae 107, 111, 126.
Heraclea Bithyniae 188.
Hercules et Telephus in moneta Germensi 193.
Hyettus appellabatur Aspledon Boeotiae urbs 112.

Jasus Cariae 232.
Ida nympha (?) in numis Alexandreae Troadis 198.
Juno Coiensis (non Samia) in Halicarnassi aere signato 230.
Jupiter Bacchum Pyrigenem sinu fovens (?) in Sardianorum pecunia 244.
Jupiter Dodonaeus in numo Halicarnassensi 255; capite modo radiato, modo non radiato 229.
Jupiter imberbis 235.
Jupiter Martius (*Ἄρειος*), non in gemma *NEIΣOT* inscripta, at vero in numismate Jasi Cariae 233; fingitur barbatus galeatus, cum hasta et clypeo 233; Olympiae in Junonis templo statuam habuit 234; Jupiter Martius idem ac Chrysaoreus 235; cum Vulcano commutatus 237.

Jupiter sub forma tauri in Phaesti numo 161.

Laodicea Phrygiae 248.
Latona (?) in Ephesi pecunia 218.
Lunus equestris in numis Trapezuntis 170; est idem ac Mithras 174; fingitur cum tiara radiata et sine lunula falcata ad humeros 185.
Lupus Lyci fluvii symbolum in aere Laodiceae Phrygiae 250.

Mars (?) ante vas frugibus refectum in Bizyae numis 101.
Medusae caput a nonnullis antiquariis pro larva scenica sumtum 132.
Meleager in Ephesi aere signato 217.
Mercurius in Phaesti pecunia 161.
Millingenii descriptiones emendatae 107, 198.
Mionneti descriptiones emendatae 107, 125, 148, 226, 232, not. 1 et 2, 245, 248.
Mithras-Lunus 174.
Mitra Persica in Ponto ceu numen androgynicum adorabatur 182.
MTNOTATPOΣ, vox Gortynae numismati inscripta (?) 164.
Myrina Cretae 163.

Neocaesarea Ponti 168.
Neumanni explicationes emendatae 147, 218.
Nicomediam inter et Smyrnam concordia 220.

Olyntho Macedoniae adtribuunt numulum, quem Eion Chalcidica sibi vindicat 117.
Ortygia vel Scopae *ἴργον* vel *σκολιὸν ἴργον* in Ephesi pecunia 218.

Pagae Atticae 147; a Megarensibus conditae 153.
Pan Arcadicus et Luna equestris in aere Patrensi 157.
Patrae Achaiae 155.
Pergamus Mysiae 194.
Phaestus Cretae 161.
Pherae Thessaliae 134.
Plarasa Cariae 225.
Priene Joniae. Numulus quidam, huic urbi adtributus ad Trieres Macedoniae spectat 125.

Quercus Dodonaea in aere Halicarnassensi 227.

Rhescuporis rex Thraciae 109.

Sala Thraciae. Numismata, huic urbi adtributa, sunt Sestiaca 107.
Sardes Lydiae 244.
Saturnus filium suum devoraturus (?) in Sardianorum numismate 245.
Sestinii descriptiones emendatae 91, 101, 102, 107, 111, 125, 148, 154, 156, 162, 168, 170, 188, 192, 195, 197, 200, 215, 217, 222, 226, 230, 232 not. 2, 240, 246, 251.
Sestus Cherson. Thraciae 105; numi modo *ΣA* modo *ΣH* inscripti 108.
Sibylla Gergithia est Herophile 206.
Silenus Bacchi nutritius in Sardianorum numis 245.
Σκολιὰ ἴργα 219.
Smyrna Joniae 220.
Spartolus Bottiaeae, nova urbs monetaria 111; Olynthum inter et Potidaeam sita 116.
Sphinx in Canarum et Gergithi numis ad Sibyllam Troicam est referenda 204.
Synaos Phrygiae 250.

Tarentum Calabriae. Num numismata *KAH* inscripta sint Tarentina? 94 conf. not. 24.

Taurus Canarum pecuniae inscriptus 203.
Taurus in Euboeae aere signato 203 not. 9.
Telephus in moneta Germensi 193.
Temenothyrae Lydiae 246.
Teria Troadis e republica numaria delenda 127.
Thrasymedes. Aesculapii simulacrum a Thrasymede fictum in Epidauriorum numismate 160.
Trapezus Ponti 169.
Trieres Macedoniae, nova urbs monetaria 124.
Trierus Jovis Pluvii filius 133.
Triopia sacra tam in Cereris quam in Apollinis honorem instituta 242.
Tyrissa Macedoniae ex geographia numaria delenda 125.

Victoria in Heracleae Bithyniae numismate 188.

CORRIGENDA.

Pag. 195 lin. 14		pro *ΓΤΜΝΑΣΙΑΡΦΧΩΝ*	lege	*ΓΤΜΝΑΣΙΑΡΧΩΝ.*
„ „ „ 15		„ *ΓΤΜΝΑΣΙΑΧΗΣ*	„	*ΓΤΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣ.*
„ 197 „ 7		„ *ΒΟΤΛΑΟΣ*	„	*ΒΟΤΛΑΙΟΣ.*
„ „ „ 12, 15 et 16		„ *ΣΕΙ*	„	*ΣΕΞ.*

TAB. I.

1.

3.

2.

5.

6.

4.

7.

8.


10.


9.

11.


12.

13.

14.

16.

15.

17.

19.

20.

18.


21.

22.

Jos. Daringer fecit


1.
Æ

2.
Æ

3.
Æ

4.
R

5.
AR

6.
AR

7.
AR

8.
AR

10.
A

9
AR

10
E

1

2

3.

4.

5

6

7

8

9

10

11.

12.

TAB. IV.

2.

1.

3.

6.



5.

4.

7.

8.

9.

10.

11.

Stadtbibliothek
Augsburg